VITAE
ITALORUM
DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT.

VOLUMEN XIX.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

OPUS POSTHUMUM.

LUCAE MDCCCIV.

Typis DOMINICI MARESCANDOLI

PRAESIDIBUS ANNUENTIBUS.

ORLANDO BENINIO
MALEVOLTIO
SENATORI AMPLISSIMO

DOMINICUS PACCHIUS

S. P.

Italorum aliquot doctrina excellentium Vitae, quas novissime cl. Angelus Fabronius declaraverat, num ne post ejus obitum omnino in tenebris debebant delitescere? Id

minime pati visa est tum Scriptoris, tum eorum, de quibus scriptum fuit, nomen atque celebritas. Nemini autem potius quam Tibi, Senator Amplissime, inscribendum duxi volumen, quod eas continet. Ea enim Tibi semper fuit cum Fabronio et necessitudo et animorum conjunctio, ut hujusce consilii mei rationem ne ipse quidem improbaturus esset, si adhuc viveret. Quod igitur grate et pie erga Fabronium a me fit postremos ejus ingenii foetus in lucem proferendo, ne tu unus graviter feras, quod ita facere id maluerim, ut mea in Te quoque officia pro facultate constarent.

EDITOR OPERIS

CANDIDO ET BENEVOLO LECTORI.

Decem et octo volumina cl. Fabronius jam ediderat, queis centum et quadraginta sex (1) *doctorum Italorum Vitae declarantur. Persequi porro institutum opus in animo habebat, et nonnullas idcirco alias Vitas volumini decimo nono addixerat; sed morte praereptus in lucem eas edere haud potuit. Istae nempe ipsae sunt,*

(1) In Indice, qui ad calcem Voluminis XVIII. appositus fuit, *centum et quadraginta quinque* Vitae numerantur. Sed *Zampierii Camilli* vitam, quae extat in Volum. XII., recensere illi ex animo excidit, qui Indicem confecit.

quae communi litterarum bono publici nunc juris fiunt. Sed et Volumen praeterea vigesimum accedet, quod Fabronii ejusdem vitam, quam ipsemet descripsit, et selectas plures epistolas complectetur a litteratis aut principibus viris ad eum datas. Quod ad praesens volumen attinet, praeter Indicem tum Vitarum, tum praecipuarum rerum, quas ipsum complectitur, apponetur etiam, ut commodier sit usui, Alphabeticus Index Vitarum, quae totis XIX. voluminibus continentur. Quoniam autem non omnes Vitas Fabronius ipsemet declaravit, sed ab aliis etiam aliquot descriptas in ceterarum seriem induxit, quarum ipse fuit auctor; peropportunum visum est peculiarem item alterum Indicem adjicere, quo aliorum Auctorum nomina ordinate recenseantur, plerumque a Fabronio indicata in epistolis, quas vitis singulis praemittere consuevit, iis nempe epistolis, in quarum inscriptione nomen ipse suum eorum nomini praeposuit, ad quos datae sunt; secus ac factum ab eo est in

iis aliis, quae unicuique volumini praeeunt. Quod tamen discriminis ne hic ullus miretur; delectu enim omni et discrimine remoto officio tolluntur; declinasse autem Fabronium ab religione officii quis credat? Laudamus sane, qui veterum Latinorum Scriptorum exemplum atque auctoritatem sequatur; at non perpetuo eundem veteres illi morem in epistolarum inscriptione retinuerunt; quippe suum nomen modo postposuerunt, modo praeposuere, ita ut in hac re nihil certi constitui possit, ac definiri. Parendum itaque, ut in re dubia atque incerta, Justi Lipsii consilio; siquidem istud prudentiae plenam esse videtur, aut saltem minus periculosum ac censurae obnoxium. Ad viros doctos, (*ipse inquit in sua* Epistolica Institutione) probos, simplices, simplicia haec servem, ad Magnates aliter, nec temere nomen meum praeposuerim. *Pauca haec, quae te praemonitum volui, Candide et Benevole Lector, tibi non ingrata fuisse spero, cupio quidem certe. Fave, et vale.*

VITAE ITALORUM

DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT

ANGELUS FABRONIUS

JULIO DE SOMAJA

S. R. E. CARDINALI.

Ornentur licet multi eximia laude, quod res philosophicas nostra hac, et parentum majorumque aetate Latinis carminibus comprehendere adlaborarunt, ex iis tamen neminem extitisse puto, qui se satis eleganter versari potuisse judicasset in exponendis miris Newtoni inventis, quae quod ex reconditioribus physicae et mathesis fontibus manarunt, et novitate & prestantia prima fuerunt, respuere videntur orna-

menta poeseos. Unus tamen inventus est homo, qui se adduci passus est ad rem difficillimam tentandam, cujus caussa cum dies noctesque vigilaret, ea in lucem protulit, quae famam ingenii superarunt. Quantae porro facultatis fuit, universam motuum doctrinam, quam mechanicam vocant, Keplerianas leges, tam varios, et tam impeditos lunae cursus, atque alia hujusmodo plura, quae a gravitatis vi promanant, illa item, quae lucis et colorum naturam continent, accurate eleganterque enunciare, atque versibus expolite! Recusare quidem videntur Musae, quae delicatissimi fastidii esse dicuntur, horridiores quasdam loquendi formulas, quae ita sunt propriae cujusdam disciplinae, ut qui eas secus efferret, violatae philosophiae reus haberetur. Nihilo tamen minus si quis tanta polleat arte, ut aspera nitide, severiora jucunde, jejuna plene, obscura perspicue explicet, utrique muneri et poetae et philosophi eum satisfecisse arbitrabor. Hujus artis exempla

illustria sane dedit Benedictus Stajus, quo docente, vires centripeta et centrifuga, duplicatae et triplicatae rationes, areae temporibus proportionales, divisum spatium per tempus ad dimetiendam velocitatem, atque his similia eo ornantur cultu, ut venustas atque jucunditas, nihil doctrinae detrahat, quin immo, quae obscuriora sunt, magis magisque nitescant.

Ille per extentum funem mihi posse videtur
Ire poeta (1)

qui postquam extitit divinus prope homo, a quo primum accepimus, quibus viribus haec mundi universitas contineatur, regatur usque gubernetur, et a quo didicimus difficillimis naturam investigandi artibus illam etiam adjungere, cujus ipse fuerat auctor et inventor, Infinitorum scilicet, uti loquimur, disciplinam, qua nihil humana mens majus, nihil praeclarius, nihil

(1) Horat. epist. lib. II. epist. I.

ad res cognoscendas opportunius, tantam et tam reconditam rerum materiem legentium animis sic proposuit, ut haberent, quo instruerentur, quoque oblectarentur. Nemo haec te melius novit, Cardinalis amplissime, qui ab ineunte adolescentia his studiis mirifice deditus fuisti, a quibus celebritatem hominum obtinere potuisses, nisi illa potiora judicasses, quae mores instruunt, vitam Christianam regunt, et Ecclesiae serviunt. Sed revoca te paullisper ab severiorum rerum meditatione atque occupatione, ut me dicentem audias de laudibus illius ipsius viri, cui semper haesisti in medullis, quique Musarum imperium protulit adeo, ut nulla res sit tanta atque recondita, quae illis subjecta non esse videatur. Renova, si libet, etiam lectionem carminum, quibus universam recentiorem philosophiam tradidit; nam magis magisque admiraberis infinitam naturae Auctoris sapientiam, qui idcirco indidisse varias constantesque corporibus vires potestatesque videtur, ut eum

facilius agnosceremus, utque ab tanti Artificis notitia, quemadmodum admonuit Poeta noster in extremo operis libro, tuque ipse omnis praeclarae virtutis exemplar praestas, disceremus ei

> . . . . . . et nosmet submittere, nostraque, tantum
> Hunc colere atque olli purum contradere pectus:

Vale, Cardinalis amplissime, meque, quem tibi longo annorum intervallo obstrictum habes, ac munusculum meum sic amplectere, ut omnes intelligant hoc benvolentiori minime potuisse offerri.

Pisis Kal. Januarii MDCCCI.

BENEDICTUS STAJUS.

Majores Benedicti Staii, de quo nunc scribendum suscipimus, ne Antivari, quae est Albaniae civitas, ob frequentes ac crudeles Turcarum incursiones secundas fortunas amittere, et in adversis sine ullo remedio atque allevamento permanere cogerentur, patrios lares saeculo XV. deseruere, sedemque Ragusii posuere. Ex iis homines ornatissimi prodierunt, qui honestatis et dignitatis magnam cupiditatem habentes tum privatis, tum publicis rebus consuluerunt. Pater ipsius Petrus Franciscus pollebat auctoritate apud universum populum; satis enim erat litteris instructus, sapienter de Republica judicabat, in quam bene adeo

erat animatus, nullum ut unquam onus ejus caussa recusaverit. Duxerat ille uxorem Annam Ulacchiam, prudentem et castissimam faeminam, ex qua octo suscepit liberos, tres feminini sexus, quinque autem masculini, quorum natu maximus fuit Benedictus in lucem editus an. MDCCXIV. VII. Kal. Novembris. Erat in puero summa gracilitas corporis, neque multum ingenio valere videbatur, prope ut desperaret pater posse illum assequi, quod et perpaucis et minime obscuris litteris continebatur. Sed repente, cum filium, quam prae ceteris diligebat propter indolem virtutis, suavissimosque mores, per se privatim instituendum suscepisset eo ipso tempore, quo Jesuitarum publicas scholas frequentabat, tanta vis ingenii, tantusque ardor pristinae aetatis incommoda sarciendi (nam maternis studiis robustior evaserat) in illo apparuit, facile ut intelligeretur brevi ipsum omnes condiscipulos superaturum. Diem non intermittebat ullum, quo stilum non exerceret; pangebat autem Latina carmina, quae honore digna ferebantur vel ab iis, qui in hoc scriptionis genere diu multumque se exercuerant:

mirum enim in modum exprimebant veterum scriptorum elegantiam, quos diurna nocturnaque manu versare solebat. Ut ex studiis philosophiae scribendi facultas cresceret, per aliquot menses audivit Franciscanum hominem, cujus ob discessam Ragusio ipse sibi consuluit, maximam mentis contentionem, maximosque labores ferens, totam ut nosceret Cartesianam philosophiam, quae tum magno in honore erat, utque subsidia sibi compararet utriusque geometriae, synteticae videlicet et analyticae, necnon astronomiae, quibus omnem accurate fundatam et extructam disciplinam facile esset perdiscere. Post id omne studium atque ingenium contulit ad illas facultates, quas divinas dicimus; Ecclesiae enim militare, eique totis viribus servire deliberavit. Erat saepe et libenter cum iis, qui earundem laudum participes esse avebant, quique et monendo et communicando sese invicem adjuvabant. Solitus hos domi suae congregare iis maxime temporibus, quae ceteri tribuebant aut aleae, aut conviviis, aut aliis hujusmodi voluptatibus, et vel ipsi requieti animi et corporis, haud aegre paruit ornatissimi Se-

natoris voluntati, qui hosce coetus apud se haberi concupivit, ut domui suae essent ornamento, et ipse haberet, ubi animus publicarum rerum strepitu defessus conquiesceret, quam remissionem humanissimam et liberalissimam judicabat. In magna varietate rerum, quae amice disputabantur, quaeque judicandae proponebantur, quanquam nonnullae essent, quas neque attingere, neque sensu suo vir ille amplissimus gustare posset, attamen eas mirabatur, cum in aliis videbat; suspiciebat autem maxime in Benedicto incredibiles motus, celeritatemque ingenii, qui non sine communi omnium laude magnum numerum optimorum versuum saepe recitabat, quos ex diviti vena fluxisse nemo poterat dubitare. Vel ex eo tempore, quo e ludo et disciplina Jesuitarum prodierat, epicum poema scribendum susceperat de Antuerpia ab Alexandro Farnesio Ducum omnium fortissimo ac prudentissimo expugnata. In eo quod aertus marini, qui maximus in Oceano esse solet, caussas et effectus, Cartesium sequens, et Lucretium imitans, docte et graphice descripserat, hunc locum ad coronam detulit, ut ii, qui tere-

tes aures habebant, de ceteris judicarent. Nemo sane extitit, qui illum summis laudibus non extulerit, et scriptorem non sit hortatus ad philosophicum condendum poema, quo universa Cartesii doctrina physica, metaphysica atque moralis exponeretur. Attigit haec versibus atque inchoavit, quibus auditis, quod iis magna res et jucunda visa est, illum ad perficiendam maxime stimularunt. Quod timide aggressus est propter summam rei difficultatem, animose persecutus est, cumque nunquam manum, ut dicitur, de tabula tolleret, triginta mensium spatio sex libros de Cartesiana philosophia absolvit, quibus nihil elegantius fieri potuisse omnes judicarunt. Quanquam illos nonum minime presserit in annum, ut est Horatii praeceptum, *multa tamen litura coercuit*, deque iis doctiorum judicia exquisivit, quibus obtemperans anno MDCCLIV. opus Venetiis vulgavit typis Sebastiani Coletti, nuncupavitque iis ipsis hominibus, quorum stimulis atque judiciis illud se debere grate profitebatur. Quinque annorum spatio Romae et Venetiis iterum impressum fuit, ex quo conjici potest quanto exceptum fue-

rit plausu. Tantum ingenium Benedicti dignum omnes judicabant ampliori theatro, suasitque ei Rogerius Boscovichius, quo cum patriam habebat communem, Romam ut concederet, quae urbs idcirco semper patuit hominibus doctis, ut iis laudibus non solum ipsi, qui laudantur, sed etiam populi Romani nomen ornaretur. Iter ingressus est Februario mense an. MDCCLVI. cumque Neapolim pervenisset eo tempore, quo in apricum proferebantur Herculanenses antiquitates, quae tum dignitate, tum vetustate multorum studia excitaverant, ad aliquam ingenii sui partem pertinere arbitratus est, si ex iis non solum delectationem, sed etiam stimulos ad percipiendam colendamque Graecae ac Romanae antiquitatis scientiam petiisset. Cujus rei majorem etiam fructum cepit, dum Romae fuit, quae civitas tot abundas veteris splendoris monumentis, ut quacunque ingrediaris, necesse tibi sit in aliquam historiam vestigium ponere. Multis eo in loco affectus fuit honoribus ab iis, qui aliquid de ingeniis poterant judicare, qui cum saepe convenirent apud nobilissimam faeminam, quae si quis

unquam alias favit litteratis hominibus, Ondedeiam Sermonetae Ducissam, nil illa magis concupivit, quam ut accederet his conventibus suavitas sermonum et morum Staii, eumque in suis numeraret. Fuit autem hoc non solum ingenii ac litterarum, sed etiam naturae atque virtutis, ut domicilium, quod in flore aetatis sibi delegerat, idem esset senectuti tranquillissimum vel iis temporibus, quibus urbs occupata a Gallis omni calamitatum genere cumulata fuit, coactusque summus Pontifex, omnesque ii, qui cum eo rem catholicam administrabant, alienas terras quaerere. Ductus ad Benedictum XIV, obtulit illi suum opus de Cartesiana philosophia cum carmine, quod ejusdem laudes complectebatur, quod munus laeta fronte accipiens Pontifex, quo nullus sapientior extitit, usurpavit Horatianum illud

Utar vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valeat.

Plausit vero sibi, cum post non multo oblata occasio fuisset addicendi Stajum Archigymnasio Romano, de cujus dignitate, au-

ctore maxime et adjutore Clemente Argenvillierio, plurimum laborabat. Accidit id iis ipsis temporibus, quibus homo universae Italiae iam notus spe et praemiis amplis sollicitabatur ad operam praebendam Lyceo Taurinensi; sed is facile plus officii residere apud se passus est, ut pareret voluntati Pontificis, quam ut suis commodis utilitatique serviret. Locum occupavit Paullini a S. Josepho, qui postquam per plures annos magna cum nominis sui gloria in eo cathedram eloquentiae rexerat, ad gerendam suae sodalitatis praefecturam (erat enim unus ex iis religiosis hominibus, quos Scholarum Piarum dicimus) vocatus fuerat. Huic muneri aliud tum primum institutum additum fuit exponendi Romanam historiam, in quibus obeundis nunquam Benedictus passus est desiderari diligentiam suam. Jam inter omnes constare videbatur illa prudentiori committi haud potuisse, quod judicium confirmabant, quae e superiori loco tradere praecepta eloquentiae, quasque habere solebat orationes vel in studiorum instauratione, vel de laudibus Leonis X. cui quod refertur accepta Archigymnasii illius reno-

vatio atque amplificatio, est hoc legibus sancitum, ut quot annis illius laudes celebrentur. Presto quoque erat omnibus, qui consilia, judicia de litteris, funebres inscriptiones, laudationes, atque his similia ab ipso postulabant, tum se operam vir humanissimus bene ponere existimans, cum aliorum utilitati, honori voluntatique serviebat. Saepe quoque ejus erudita vox exaudita est iis in coetibus, quos Quirinorum et Arcadum nominamus, quibus adscriptus fuit statim ac Romam venit. Erat tunc haec civitas plena Graecarum Latinarumque artium ac disciplinarum, studiaque poetica vehementius, quam nunc, colebantur propter tranquillitatem reipublicae. Fuit vero cujusdam felicitatis, ut ex una urbe Ragusio praeter Stajum plures habuerit lauro Apollinea dignissimos, Boscovichium, Cunichium, Zamaniam, qui quod non minorem gloriae fructum putarunt ex Latinis versibus percipi posse, quam ex Italicis, propterea quod Latina leguntur in omnibus fere gentibus, magnum honorem addiderunt Latii Musis, vel ea tractantes, quae recusare poesis videbatur. Nemo profecto du-

bitabit in multa varietate rerum novarum atque reconditarum, quibus divinus prope homo Newtonus physicam non modo, sed et mathesin mirum in modum amplificavit, esse quam plurimas, quas Latinis verbis exprimi, nedum poeticis coloribus ornari haud posse facile dixisses. Nihilo tamen minus Boscovichius tantum tribuebat ingenio Staii, ut illi auctor fuerit pangendi poematis, quod universam Newtonianam philosophiam complecteretur. Principio recusavit, sed instabat quotidie perfamiliaris homo, cui tandem se rei periculum facturum pollicitus est. Dulcedine quadam gloriae, speque suam laudem cum amici laude communicandi, se commentaria et supplementa confecturum ostendit, quae illa, quae versibus ipse attigerat, docte et copiose non solum exponerent, sed et novis inventis, suisque maxime illustrarent. Id poetae animos addidit; curabat autem, ut acer spiritus, ac vis in verbis ac rebus, quantum fieri poterat in didascalicho poemate, inesset, memor Horatiani praecepti

Non

Non satis est puris versum perscribere verbis,
Quem si dissolvas quivis stomachetur eodem
Quo personatus pacto pater (1);

ex quo fiebat, ut vel dum scribebat sermoni propiora, illum facile putasses esse poetam. Nunc non quaeram, merito ne improbatum a multis fuerit hoc poesis genus. Scimus quidem per hoc Titum Lucretium Carum summis elatum fuisse laudibus ab aureae aetatis scriptoribus, nomenque suum immortalitati consecrasse. Sed facilius fuit Epicuri doctrinam, et Cartesii dogmata, quae poemati magna ex parte simillima dixeris, exponere, quam declarare tot inventa Newtoni terrestria atque coelestia; quibus physica et mathesis nihil invenerunt solertius et acutius, et novitate praestabilius; quare ignoscendum est Stajo, si rei difficultate deterritus aegre operi manum admovit, illudque suscepit experiendi magis voluntate, quam perficiendi spe. Quod potuit tem-

(1) Satir. lib. I. Sat. IV.

poris huic tribuit (nam non Lyceo solum, sed etiam Ecclesiae, quae S. Hieronymi Illyricorum dicitur, auctus illius praefectura servire debebat) et non multorum mensium spatio tres absolvit libros, qui anno MDCCLV. typis fratrum Paleariniorum impressi fuerunt. Nuncupavit eos Sylvio de Valentibus Cardinali, qui rerum summae praeerat, cuique prudentia, dexteritate, studio liberalium artium, munificentia atque benevolentia in Stajum neminem praetulisses. Tribus autem libris illis complexus est potiora, quae ad gravitatem pertinent, cui argumento, quo nullum firmius, illustrius et copiosius est in universa Newtoniana philosophia (gravitatis enim viribus haec mundi universitas continetur) tres alios tribuit libros quinquennio post impressos iisdem Paleariniauis typis. Quatuor supererant alii, quos bina in volumina distribuere meditabatur, alterum concedens luci et coloribus, alterum autem iis capitibus, quibus Newtonus ipse suum ornavit opus de opticis rebus, quibusque rationem reddidit earum virium, ac praesertim attractionis, quae in rerum natura certis quibusdam legibus dominatur. Quanquam

eos brevi, si negotii difficultatem spectes, absolverit, serius tamen in lucem emissi fuerunt Boscovichii culpa, qui Roma absens, gravissimisque curis distractus munerum caussa, quae Mediolani et Parisiis sustinuit ad provehendam maxime astronomiam et opticam, suppeditare differebat commentarios et supplementa, quibus mirum in modum illustrantur bina priora poematis volumina. Neque totum id, quod promiserat explevit, diuturno diroque morbo impeditus, ex quo mortem obivit. Tanti viri, tamque sui cupidi casum vehementer doluit Stajus (nam natura eum ad sensum humanitatis formaverat) et propter studia amicorum summa minime procrastinandam amplius editionem esse duxit totius poematis, uno contentus volumine, quod magnitudine cetera superat; nam quamvis careat Illustratoris supplementis, quasi hic praevideret se non satis otii et temporis ad illa conficienda habiturum, copiosiora suppeditavit commentaria. Paruit quoque Stajus eorum consiliis, qui suadebant, ut sine alienis additamentis universum poema imprimendum curaret, quod antequam aggrede-

retur, nonnulla mutavit, ac meliora fecit, quo magis magisque tractata nitescerent. Scivit profecto reconditas res, magnitudine praestabiles, et novitate primas eleganter exponere, et ad oblectandos animos accommodare; ut vero haberent lectores, ubi conquiescerent, si forte defessi erant narratione rerum a communi intelligentia remotarum, perjucundas a proposita oratione digressiones in principio praesertim et in fine librorum intexuit.

Virtutis verae custos rigidusque satelles (1)

quid verum atque decens, quid religioni, ejusque Auctori debeatur, quae sint principia et fundamenta legum naturalium atque civilium, quid sequi conveniat in gubernanda vita, reque publica administranda, quae imperiorum, scientiarum et artium fuerint vicissitudines, quibusque ex caussis ortae, quantum ad divinam sapientiam suspicien-

(1) Horat. epist. lib. I. ep. I. v. 17.

dam conducat rerum naturalium scientia, quantum adjuvent litterae liberalesque artes ad percipiendam colendamque virtutem, et alia hujusmodi ita persequitur, ut nescias magis ne admireris poetam, an utilissimarum rerum praeceptorem, omnisque sapientiae magistrum. Quanta vero polleret arte ad sensus quoque permovendos, unum satis erit commemorare exemplum ex libro IV. Philosophiae petitum, quo graphice describit, et flebiliter lamentatur mala, quae Ragusio suo terrae motus attulit. Prorsus quae poetice scripsit, ea video sic probari, ut ad veterum scriptorum laudem pervenerint. Multus est, et merito quidem, in utriusque poematis laudibus celebrandis Christophorus Stajus, scriptis Latinis epistolis ad Fratrem, quocum vivebat conjunctissime propter similitudinem morum atque studiorum. Neque his contentus dialogum exaravit de poesi didascalica, ut quae hujus dari praecepta solent, ab eo servata fuisse omnes judicarent. His scriptis doctis sane et elegantibus poemata ipsa ornantur, queis addere Benedictus optabat recentiorum philosophorum inventa, per quae Newtoniana

doctrina mirum in modum confirmatur atque illustratur: sed mutatis studiis vale dixit poesi, omnemque operam suam contulit ad Catholicae Ecclesiae utilitatem. Ad hujus clavum sedebat Clemens XIII. eo tempore, quo Thomas Emaldius, qui illi erat ab epistolis, ut ajunt, ad Principes, vitam cum morte commutavit. Ejus in locum suffectus fuit Michael Angelus Jacomellius, vir multis litteris, sed praesertim Graecis eruditissimus; hujus vero munus, quod dicitur ab epistolis Latinis, impetravit Stajus, tum quod per se dignus eo putabatur, tum auctoritate et gratia Ferdinandi de Rubeis Cardinalis, a quo plurimum diligebatur. Erat competitor Philippus Bonamicius, ac mihi quoque oblata spes fuit a fratris Pontificis filio, ut Jacomellio succederem; sed cum de me sermonem Pontifici ipsi habuisset, destinatum jam fuisse Stajo honestissimum munus audivit, quocum si contendere doctrina, ingenio atque usu ausus fuissem, sane levissimi hominis reprehensionem minime vitassem. Multas a Pontifice, quoad hic vixit, habuit voluntatis declarationes, divitias etiam ex sacerdotiorum reditibus, et locum,

quod honorificentissimum putatur, in collegio Canonicorum Liberianae Basilicae; quare minime est mirandum, si ex ejus improviso obitu vehemens, ac prope mortiferum vulnus se accepisse testaretur. Atque hic dolor multum per se valuit, ut cum commissum illi fuisset a Cardinalium collegio funebri oratione ipsius Pontificis laudes celebrandi, summa voluntate ac tenerrimo animi sensu probaret, maximam ab Ecclesia Catholica factam fuisse jacturam, amisso Rectore, quo nullus sanctior, humanior atque prudentior unquam extiterat. Congemuit Senatus frequens, laudavitque oratoris eloquentiam, cujus illustre extabat monumentum in ea, quam an. MDCCLXIV. jussu ipsius Pontificis dixerat in sacello Quirinali, oratione, de laudibus Friderici Augusti III. Poloniae Regis. Successit Clementi Laurentius Ganganellius, qui recusare haud potuit iis, quibus commissa erat rerum Gallicarum procuratio (quibus de caussis non attinet dicere) loco ut moveretur Jacomellius, quem Stajo assignavit. Huic mandavit statim, litteras ut illas exararet, quibus Pontifices, dum gubernacula Christianae Rei-

publicae prehendunt, hortari solent Episcopos, omnesque Christi ovilis Pastores ad exequendas suorum munerum partes. Vir prudentissimus, et cum Reipublicae, tum Pontifici, tum etiam veritati amicissimus ea scripto mandavit, quibus graviora, utiliora ac meliora fieri haud potuisse omnes judicarunt. Habuit et alia multa extraordinaria mandata a Pontifice, qui omnia, quae gerebat, spargere se ac disseminare cupiebat in orbis terrae memoriam sempiternam. Quanquam autem Benedictus nil sibi gloriosius putaret, quam omne suum studium atque ingenium conferre ad exhaurienda Pontificis mandata, a quo et sacerdotiis et honoribus auctus fuerat (adsciverat enim eum inter Romanos Praesules, et sacrae, ut loquentur, Poenitentieriae addixerat) impediebatur tamen interdum acerbissimis podagrae doloribus, ne omnia, quae jubebantur, perficere posset. Itaque impetravit, ut Christophori fratris opera uti potuisset, cujus integritas, fides, doctrina, et in Latine scribendo elegantia universae urbi notissima erat. Sed hoc quoque allevamento, vitaeque omnis solatio privatus fuit: nam is an.

MDCCLXVII. vitam amisit, quem casum Benedictus nunquam flere cessavit, quanquam ad levandum dolorem plurimum profuerit alterius fratris consuetudo, qui ex studiis philosophiae, et humaniorum litterarum, dum floruit Jesuitarum societas, cui nomen dederat, magnam sibi gloriam comparavit. Dum incumbebat ad Christianae Reipublicae salutem Clemens XIV. et omnes circumspiciebat quae ei impendebant, procellas, quas prudentia sua avertere se posse sperabat, vita privatus est. Est hoc in more positum institutoque majorum, ut Cardinales conclavia ingressuri ad novum creandum Pontificem, dicentem audiant de officiis, quae sunt propria illorum dignitatis, et quae sint ea, quae Ecclesia Dei in squalore ac luctu ab iisdem exigere videatur. Datum Stajo onus fuit hujusmodi habendae orationis, quae est in manibus hominum: scripta autem est gravissimis sententiis et verbis. Nemo ignorat quot motus, quantas agitationes, quantasque perturbationes habeat ratio comitiorum. Dies intermissus unus, aut nox interposita saepe perturbat omnia, et totam opinionem par-

va nonnunquam commutat aura rumoris. Saepe etiam fit aliud atque existimatur, ut nonnunquam ita factum esse etiam ii admirentur, qui suffragia tulerunt. Haec diu nimis videre licuit antequam summus Pontifex renunciaretur Pius VI., cujus vita tot objecta fluctibus ac tempestatibus fuit, ut ex ipsis calamitatibus, quas incredibili animi fortitudine tulit, immortalem gloriam sit consecutus. Testem ipse habuit sui flagrantissimi studii in rem catholicam Stajum, cujus operam in mandandis scripto iis, quae praescribebat, sive ut impelleret homines, sive ut doceret, sive ut deterreret, sive ut concitaret, sive ut incenderet, sive ut leniret, sive ad paucos, sive ad multos utilissimam sibi esse sentiebat. Obstitit fortasse adversa valetudo, ne hac uteretur, quando Vindobonam usque iter suscepit cum spe a Josepho II. Caesare ea obtinendi, quae multum prodessent et ejus gloriae, et Christianae reipublicae incolumitati. Fortis quidem fuit, non dicam quam felix; quia vero omnia, quae gessit, magni putavit esse Stajus ad famam hominum ac voluntatem, hujus itineris historiam Latinis litteris con-

signavit. Quantum ingenii et facultatis haberet in declarandis iis ipsis rebus, quas se magno et forti animo et agere, et dicere velle ostendebat Pontifex, saepe animadversum est, et tum maxime, cum excitandi erant imperiorum Rectores ad sarta et tecta tuenda jura Romanae Ecclesiae, eorumque, qui pro illius dignitate laborabant. Accidit demum sors illa tristis atque atrox Pontificis, qui sua sede, uti supra innuimus, pulsus locum non habuit, in quo conquiesceret, et lacrymas et squalorem moestissimae Ecclesiae solaretur. Obstitit decrepita aetas, ne Benedictus particeps esset aerumnarum et laudum illius, remansitque Romae cum optima existimatione vel eorum, qui vel sceleribus, vel dementia depravati omnia perfringere ac labefactare conabantur. Quibus potuit rebus praesto fuit amicis, nunquam procurare cessavit res publicas Ragusii sui, seque conscientia optimae mentis tanquam firmissimo muro septum esse arbitratus est ad subeunda omnia adversae fortunae tela. Magnum quoque allevamentum reperiebat, cum frequentaret domum Mariae Pizzelliae, quam pro-

pter ejus ingenium, humanissimasque virtutes colere omnes ii solebant, qui litteras amabant, quique remoti a studiis ambitionis honestum et utile otium, et tranquillitatem vitae sequebantur. Cum post illam flammam redditus fuisset Urbi suus Pastor Pius VII. et Purpuratorum Patrum collegium, nemo extitit, qui non gratularetur Stajo, quod Deus ejus vitam tanto gaudio, suamque operam tanto Pontifici reservasset. Ex illo vero Collegio, quod plures erant, qui eximie illum diligebant, ac prae ceteris Zelada, de Valentibus, Borgia, Gerdilius, atque Somaja, qui ex intima familiaritate Staii, vel ab eo tempore, quo primum Romam venerat, multa se didicisse gloriabatur, his officia sua plena suavissimi studii praestare non destitit. Neminem profecto illo magis idoneum invenisses ad conciliandas et conservandas amicitias, quod obtinebat non assentatione, sed virtutis opinione. Quanquam enim non tam multi virtute praediti sint, omnes tamen quam illa sit amabilis facile intelligunt. Ecquod illius factum, aut commissum, non dicam audacius, sed quod cuiquam paullo minus con-

sideratum videri potuisset? Verbum ecquod ullum unquam ex ore ejus excidit, unde quisquam potuisset offendi? Quanquam ea esset dexteritate, ut nihil illum effugeret, ea tamen semper habebat in ore, ut vel in maledicentissima civitate, vel in suspiciosissimo negotio nemini sui reprehendendi occasionem daret. Quid vitae constantiam commemorem in praetermittendis voluptatibus; in religiosis officiis pie et sancte obeundis; in opitulando miseris, in sapientissimis consiliis dandis, et in optimis studiis colendis cum summa reipublicae utilitate? Quae comitas; quae humanitas, quanta copia earum virtutum omnium, quae pertinent ad mansuetudinem morum, et ad facilitatem; quanta modestia in omnibus dictis et factis! Restitit civium suorum precibus, et Benedicti XIV. auctoritati, cum vocaretur ad regendam Ragusii Ecclesiam; hortantibusque amicis, ut quoniam ad rempublicam accesserat, et gratia valebat, magis magisque honori velificaretur suo, solitus erat respondere se eo, quo, nullis adhibitis artibus, ornatus fuerat, contentum esse; ceteros autem, qui quibusdam amplissimi videntur, ita

parvi facere, ut nihil inanius, nihil esse levius existimaret. De se deque scriptis suis nihil loquebatur, et sedulo animadvertebat, ne callida assentatione caperetur; si vero sermo injiciebatur vel de iis rebus, quas ipse perfecte tenebat (tenebat autem non solum physicas et divinas res, sed et omnem historiam tum veterem tum recentiorem) ita exponebat sententiam suam, ut si quis adversaretur, quasi hic plus videret, dare manus, vincique se pateretur. Homo enim, si quis usquam alius, tranquillitatis amans, quique vel ab ineunte aetate didicerat sibi imperare, nil tam oderat quam litigiosas concertationes, disputationes etiam, quae ostentandi ingenii caussa a multis facile et libenter suscipiuntur. Si verum est, quod dictum est a Cicerone, summam et perfectam gloriam constare ex tribus his, si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione honore dignos putat, sane non video, qui his laudibus cum Stajo contendere possit; quod et admirabilius debet videri, quia in ea sane infelicissima devenimus tempora, quibus, qui recta sequitur, qui gaudet officio, cuique vivendi via considerata atque provisa est, nul-

lius animi homo existimatur. Vixit ad summam senectutem prospera usus valetudine, si podagram excipias, a qua saepe et vehementer tentabatur, diemque supremum obiit non invitus, quippe qui caste et sancte vitam totam traduxerat V. Kal. Martias an. MDCCCI. nam podegra pectus occupaverat. Multa reliquit Latina carmina, quorum condendorum nunquam studium deposuit. Condidit autem in senecta praesertim multa, quae non tam ejus in Latina poesi praestantiam, quam in Deum pietatem eximiam et in amicos indulgentiam declarant.

OPERA EDITA.

Benedicti Stay Ragusini Philosophia Cartesiana versibus tradita. Venetiis 1744. iterum postea Romae auctior, deinde Venetiis.

Philosophiae recentioris a Benedicto Stay in Rom. Archigymnasio Publ. Eloquentiae Professore, versibus traditae Libri X. cum adnotation. et supplem. P. Rogerii Boscovich S. J. Tomus I. Romae 1755. T. II. 1760. Tom. III. etc.

ANGELUS FABRONIUS

ANTONIO CAGNIOLIO

SOCIETATIS ITALICAE PRAESIDI

S. P. D.

Ut omnes intelligant me Lazaro Spallanzanio tantum impertiri laudis, quantum ingenioso viro, et sapientissimo homini et magno philosopho debeatur, minime dubitavi ejus vitam et Latine et Italice declarare. Quantum is doctrina, assiduitate, consilio, et vel summis vitae periculis luminis attulerit rebus, quae in physica primae putantur, copiosius in Italico commentariolo exposui, quod ea mente exarandum suscepi, ut tibi, vir clarissime, rem gratam facerem, qui diligentissime providere soles, ut Italica, sicuti vocatur, Societas, cui meritissimo praees, suam famam et dignitatem retineat, utque nota

sint merita eorum, qui scriptis doctis et laboriosis ejus fastos sic decorarunt, ut cum illustrioribus Europae Academiis gloria contendere illa possit. Utinam philosophorum tantam copiam haberemus, qui Spallanzanii scientiam aequare possent. Sed cum fuerit unus, qui non modo eorum hominum, qui nunc sunt, sed etiam antiquitatis memoriam in historia naturali colenda doctrina, et inventorum magnitudine superarit, ignoscendum mihi putavi, si timide et verecunde, tuae ut morem gererem voluntati, ad illius laudes celebrandas accesserim. Equidem sic existimo in summo Physico quatuor has res inesse oportere, multarum disciplinarum scientiam, perspicax ingenium, in experiendo patientiam, in exponendis iis, quae observavit, perspicuitatem cum elegantia conjunctam, quae virtutes tantae fuerunt in illo uno, quantae in reliquis, quos aut vidimus, aut audivimus, non fuerunt. E ludo atque adolescentiae disciplina ad philosophiam publice profitendam vocatus non

alienis praeceptis, sed suo, ut dicitur, marte varia et diversa genera rerum, quae magnitudine praestabiles, et novitate primae existimabantur, inquirere coepit, in quo tanta felicitate usus est, ut nullum tam abditum naturae mysterium esse videretur, quod, ipso inquirente, lateret. Testis est Carolus Bonnetius, qui cum eo hac gloria quamvis certare potuisset, confessus tamen est, plura et majora ab ipso detecta fuisse paucorum annorum spatio, quam multorum ab illustrioribus Europae Academiis. Quae cum ita sint, non satis tamen se vivere posse putabat, ut per se historia naturalis a pueritia ad adolescentiam traduci potuisset: sentiebat enim, solitus omnia, quae cognitione digna sunt, summo otio secum ipse considerare et contemplari, innumera superesse, quae spissis circumfusa tenebris latebant obscuritate involuta naturae, seque nihil aliud summis laboribus effecisse, nisi ut tanquam aliquam viam longam atque difficilem ingressus esset, ceteris monstraret, quale il-

lud esset, quo pervenisset. Quocirca iis, qui ejus sapientiam admirari solebant, in hoc se esse sapientem dicebat, quod ad contemplandam rerum naturam nihil praejudicati afferret, nullum hypothesibus et conjecturis locum daret, auctoritati nihil concederet, et ipsam rationem aliquid tum esse putaret, quoties experientiae serviebat, in qua habenda multa providenda et cavenda esse addebat, ne specie veri deciperemur. Reliquorum autem praeceptorum haec verba maxime excellunt: multas esse vias, quae ad errorem, perpaucas autem, quae ad veritatem ducunt. *Haec sequenti persuasum esse debebat se non operam perdidisse, cum multos ab errore conatus est avellere, et ea docere, quae ab ipsa natura se didicisse gloriari poterat. Omnes quidem trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus, sed perpaucis contigit, quamvis diu multumque in studiis versati sint, et omnem operam in res obscuras et dif-*

ficiles contulerint, ut satis temporis, ordinis, diligentiae atque acuminis ad eas considerandas adhibuerint, ne incognita pro cognitis haberent, iisque temere assentirentur. Est et aliud genus hominum, qui ingenii aestu, vel gloriae cupiditate abrepti, cum omnem rerum formam atque ordinem se se tenere jactant, ad illa, quae omnino ignorant, delabi malunt, quam ea quaerere, quae in sensus ipsos facile incurrunt; ex quo factum est, ut dum initia, primasque caussas aequo cupidius consectantur, a rebus ipsis, quae cognosci quidem poterant, si veri inquirendi viis institissent, longe aberrent, quibusque cognitis, veluti per gradus ad ipsa rerum capita facile pervenissent. Hoc praeposterum philosophandi genus plures quasi ansas dedit Spallanzanio ad reprehendendum Buffonium aliosque, quorum ratio ad commenta proponendi licentiam prolapsa erat, hoc volens, hoc meditans, hac semper cupiditate elatus, ut insigniora naturae arcana per se reserarentur. Haec, vir cla-

rissime, praefari libuit, ut magis magisque eluceat Spallanzanii ipsius industria in augendis copiis naturalis historiae, utilitatibusque sibi, et iis, qui in eodem stadio currebant, comparandis, cui laudi cum illam adjunxisset orationis gravitate et elegantia plenissimae, ut eos qui audiebant, ad majorem admirationem oblectationemque traducere posset, perfectae philosophiae perfecto illum functum fuisse munere sane judicare debemus. Vale.

Ex Meletiano Kal. Novembris MDCCXCVIIII.

LAZARUS SPALLAZANIUS.

Non facile quidem invenies, qui Lazaro Spallanzanio majorem ceperit gloriam ex contemplatione rerum naturalium, in quibus investigandis summum ingenii acumen cum singulari diligentia atque prudentia conjunxit. Ea erat vel in puero discendi cupiditas et virtutis indoles, quae bona spe praeluceret in posterum. Itaque cum Scandiano, quo in oppido Mutinensis ditionis lucem adspexit prid. id. Januarii an. MDCCXXIX. parentibus Jannicola haud ignobili jurisconsulto, et Lucia Ziliana Colornensi, Regium Lepidi ductus fuisset, tantos progressus fecit tum in humanioribus litteris, tum in

philosophia, ut non excurrere, sed evolare videretur. Facile indicabat ipsa natura vim suam. Nam cum patris jussu Bononiam venisset, ut juris prudentiae operam daret, sic frequentabat Lauram Bassiam, consobrinam suam, cujus pervulgatum est nomen, et Felicem Aloysium Balassium e familia, sicuti loquimur, Regularium Canonicorum Congr. Rhenanae, ut in una contemplatione naturalium phoenomenorum, et in tractando erudito pulvere mathematicorum conquiesceret, prae quibus litium jura contemnere videbatur. Cum his studiis conjungebat, quae ad divinas res (nam Ecclesiae militiae se adscripserat) ad Graecas litteras, in quibus praeceptorem habuit Jo. Baptistam Blanconium, ad Latinas, atque Italicas pertinent; quare facile illi fuit, cum vocatus fuisset ad tradendam philosophiam in Regii Lepidi lyceo, Graecae quoque linguae cupidos in collegio recenter instituto ad educandam nobilem juventutem instruere. Cum ab ipso saepe quaereretur quid sentiret de Homerica interpretatione, quam versibus Italicis fecerat Antonius Maria Salvinius, non invitus quidem an. MDCCLX. opusculum edi-

dit, quo probare conatus est multa virum omnium ceteroquim Graecis litteris doctissimum peccasse. Quam sapienter non disputo, confidenter quidem, omnibus ut probaret ea, quae praecepta dabat ad colendam poesim, et ad imitatione exprimendas miras Homeri pulchritudines, ab illa interpretatione humili, pedestri atque elegantiae poeticae prorsus experti plurimum dissidere. Duabus quasi indutus personis et humaniorum litterarum praeceptoris, et physicarum rerum explicatoris, vidit se plus prodesse posse reipublicae, si ad has totum se convertisset, motus praesertim exemplo Antonii Vallisnerii, quocum patriam habebat communem, cujusque gloria, non secus ac Themistocles Miltiadis trophaeis, se a somno excitari ajebat. Illius ut sententiam confirmaret de fontium origine, quam non a mari, sed a pluviis, nivibus, nebulis, montiumque conformatione ad retinendas aquas plus vel minus idonea repetendam esse probavit, Appenninum peragravit, deque Ventasso lacu, cujus altitudinem metitus est, ea litteris mandavit, ex quibus intelligi potuit nec labore, nec periculis ipsum unquam deter-

ritum fuisse ad ea observanda, quae ceteri aut nihil, aut leviter nimis attigerant. Nihil sequi videbatur, quod assequi nequiret, quod praesertim cognosces ex iis, quae de renatis quorumdam animalium, postquam eae secatae fuerant, partibus in vulgus emisit. (1) Expertus id primum est in lumbricis tum terrestribus, tum aquaticis, quorum fabricam sedulo contemplatus est, atque descripsit, mox in ranis recenter natis (*girini* nos Itali dicimus) ac demum multis in aliis animalibus, ac praesertim in cochleis, quarum vel si secueris caput, istud renasci sane admiraberis. Fuere qui id negarent, si cum membrana, qua cerebrum obvolvitur, hoc quoque secatum fuerit, qua de re disputavit cum Joanne Baptista Prescianio, qui tum Pisis physicis studiis operam navabat, juveniliter exultante, quod in dubium revocasset, quae summus vir multis experimentis se comprobasse affirmabat. Bestias inspicienti terrenas, aquatiles, et quae quasi anci-

(1) *Non omnia, tamen quae paraverat, quaeque se editurum promiserat vulgavit, cujus rei quae fuerit caussa, mihi haud compertum est.*

pites in utraque sede vivunt, ut earum ortum, propagationem, fabricam et naturam scrutaretur, occurrit Salamandra, cujus vasorum sanguineorum tanta est pelluciditas, facile ut cerni possit, quid in iis cor agat, ex quo materiem sumpsit operis, quo mirum in modum prolata a se antea de hac cordis actione comprobavit, quod noscere quanti momenti sit, nemo est in physiologia vel leviter doctus, qui ignoret. Id alii ante ipsum licet tentaverint in animalibus, quae frigidum sanguinem habere dicuntur, in iis, quae calido praediti sunt, se assequi posse desperasse videbantur, quod Spallanzanio pullum, dum ab ovo excluditur, contemplanti feliciter successit. Cujusdam enim microscopici instrumenti ope, cujus inventionis laus Lyonetto tribuitur, videre potuit totum circuitum sanguinis per vasa umbelicalia, arteriosa atque venosa. Quod praecipuum erat, detecto, multa utilissima nos docuit cujusmodi sunt, sanguinem a corde unice moveri, cujus tanta vis est, minime ut retardetur motus illius, dum ab arteriis in venas transit, illud dum coarctatur non semper expellere, ut opinio erat Hallerii, totum

sanguinem, qui ad illud dilatatum confluxerat, et in quibusdam animalibus partem semper aliquam ejusdem retinere. Ad id caussas indicavit, propter quas retardari sanguinis motus possit, quasque varietates efficere valeant vel vasorum vulnera, vel cordis ipsius morbi. Cum incredibilem natura tribuisset Spallanzanio cupiditatem noscendi quae ad generationem animalium, et ad vitam eorum conservandam pertinent (nam cum tota naturalis philosophia frugifera et fructuosa, nec ulla pars ejus inculta et deserta sit, nullus tamen est locus in ea hoc neque uberior, neque obscurior) eamque ipse perpetua constantia in experimentis habendis roborasset, semperque in proposito susceptoque consilio permansisset, multa sane ceteris incognita, ac prorsus mirabilia detexit, per quae famam sibi comparavit hominis omnium aptissimi ad aperienda naturae mysteria (1). Vel ab anno MDCCLXV.

---

(1) *Joannes Senebierius, cujus judicium quanti faciendum sit omnes profecto norunt, haec de ejus inventis praedicavit.* On verrà sur-tout l'Abbé Spallanzani lutter victorieusement avec la nature, et produire par son adres-

se

vulgavit quae ipse microscopii ope observaverat ad convellenda systemata Needhamii et Buffonii de animalium generatione, cui dissertationi alteram Latine exaratam adjunxit de lapidibus ab aqua resilientibus. In illam priorem multa alia postea addidit, vulgatis an. MDCCLXXVII. opusculis, quae de physica animali et vegetabili inscripsit. Permagni sua intererat certissimis experimentis probare parva illa animalia, quae infusoria dicuntur, propriis e seminibus nasci, neque in iis generandis, sicuti contendebat Needhamius, vim illam suam generatricem, quam tribuit materiae, et gubernare universum mundum, ut ajunt, organicum affirmabat, locum habere, cujus magnum esse argumentum sibi persuadebat, illorum generationem, postquam semina, e quibus prodeunt, ebulliverant. Quanquam omnia sup-

se les mêmes effets qu'elle a opéré si souvent depuis la creation, et dont elle avoit su voiler jusque aujourd'hui les moyens. C'est par la justesse de ses imitations qu'il prouve la solidité de ses découvertes, et il demontre les vérités, qu'il enseigne, en mettant sous les sens les élémens de sa demonstration.

peditata fuissent a Spallanzanio illa, quam nominavimus, dissertatione ad hanc sententiam prorsus evertendam, hanc tamen suo jure licere sibi defendere et confirmare putavit Necadhamius, si ad suam caussam traduxisset quae ille afferebat experimenta; quod et fecit, cum ipsam dissertationem, Gallicam in linguam convertendam, suisque animadversionibus auctam iterum vulgandam curasset. Nihil illum attulisse, quod probari possit, facile ii judicabunt, quorum in manus pervenerunt Spallanzanii opuscula, qui quasi tormenta quaedam adhibuit naturae, ut responderet, quae sint ova animalium, quaeque plantarum semina, quae pro varietate caloris aut vivificantur, aut foecunditatem et vitam amittunt, quidque frigus et aer valeant ad vitalitatem vel extinguendam vel conservandam. Non minori copia experimentorum, quibus physica nihil invenit solertius, fictam illam et commentitiam vel hypothesin, vel fabulam prolatam a Buffonio de moleculis organicis, quibus vim generandi praebuit, quibusque omnia generationis phoenomena explicari facile posse sibi persuadebat, rejiciendam esse

probavit. Omni autem pondere graviora sunt quae ipse attulit, ut ostenderet sperma vermiculis refertum esse, et extitisse antea in feminis foetus, qui a spermate foecundantur, quae aliaque plura admiratus Senebierius neminem in physicis plumbeum adeo fore pronuntiavit, qui ea, de quibus diximus, systemata renovare amplius audeat, quique in dubium revocare queat, quae de generatione in oculis omnium posuit Spallanzanius, cui unice suum opus patefecisse natura videtur. (1) Neque secus judicavit Genevensis Bonnetius, qui diu et sedulo in eadem inquisitione versatus fuerat, quique sibi et Spallanzanio gratulandum esse

---

(1) C'est une traduction naive et fidelle de quelques pages sublimes du livre de la nature ; c'est une suite de faits étonnans, raconté avec simplicité, observés avec finesse, suivis avec constance, et analysés avec profondeur ; c'est un enchaînement d'effets présentés d'un manière si lumineuse, détaillés avec tant de netteté, dirigés tellement vers le même but, que chacun est forcé de tirer la même conséquence, et de reconnaître la préexistence des foetus à la fécondation dans les femelles, comme une loi de la nature pour tous les êtres qui ont fourni les matériaux de ces observations.

ajebat, quod cum coepissent ad veritatem revocare experimenta et rationem, res magnitudine praestabiles et novitate primas invenissent. Quis, ait ille, suspicatus unquam fuisset esse animalia, quae ortum habent in aquis effervescentibus, quae multiplicantur, si ea in minutissimas partes secentur, quaeque vivunt, crescunt et numero augentur, si ea sicuti chirothecas invertas (1)? Esse et nonnulla probavit Spallanzanius, quae a morte ad vitam revocantur, quae utroque sexu praedita sunt, in quibus, aliisque hujusmodi rebus plurimis, quas longum esset recensere, exponendis non tam docere voluit lectores, quam allicere simplicitate et elegantia Etrusci sermonis, quae in omnibus illius scriptis apparet, sed praesertim in Prodromo, quo notum fecit se brevi opus editurum de animalium generatione. Oculos quoque et experimenta ad plantas convertit, ut in eorum seminibus totum id, quo componuntur, scrutaretur, proba-

(1) *Bonnetii litteras retulit Spallanzanius in ipsum volumen opusculorum.*

baretque una eademque lege naturae tum animalia, tum stirpes suos integrosque continere fœtus, vel antequam fœcundentur, quod felicissime illi successit. In extremum vero librum opusculorum retulit observata a se se de mucore, quibus omnem quaestionem tollit de illius origine, & inter plantas ipsum annumerandum esse convincit. Quando haec edidit, cathedram occupabat historiae naturalis in Ticinensi Lyceo, ad quod venit an. 1769. postquam per totos septem annos, cum a Regii Lepidi in Mutinense Gymnasium traductus fuisset, in hoc philosophiam docuerat. Patriam ipse amabat, neque facile ab illa se divelli passus fuisset, nisi liberalissima oblata conditio fuisset, qua domesticis rebus, suisque studiis commode (nam ut Horatii verbis utar, (1) *quoad vixit, credidit ingens pauperiem vitium, & cavit nihil acrius*) consulere potuisset. Additum stipendio, quod ad cccc. usque aureos nummos pervenit, dite

(1) Satyr. lib. II. Sat. III. v. 91.

sacerdotium fuit (accidit id quando Patavini cathedram historiae naturalis diu Vallisnerii obitu vacuam magnis praemiis illi obtulerunt) idemque auctus praefectura musei rerum naturalium, quod ab eo non tam incrementum, (1) quam ortum habuit. Neque solum publico, sed etiam domestico, quod patriae esset ornamento, consuluit, quam ob rem ferre indignissimum calumniam debuit, quasi alienis spoliis suas auxisset copias, quam cum mores & vita illius, tum accuratorum improbitas, qui invidebant fortunae, honori, & famae ejusdem, atque certissima testimonia convincere facile potuerunt. Erat assiduus in iis, quae suorum munerum erant, magnumque lumen ingenii & doctrinae elucebat in acroasibus, quae

(1) Cum an. 1784. Josephus II. Caesar Ticinum advenisset, atque Athenaeum ingressus cetera inter museum a Spallanzanio ordinatum conspexisset, ut nil melius aut aptius, doctissimum virum humanissime compellavit, laudibus publice cumulavit, et aureo numismata remuneratus est. Idem ille Caesar, quod sane miraberis, non multo post aures praebuit calumniatoribus ejusdem, sed brevi re cognita, omnem a se suspicionem removit.

publice habebat. Suppeditarunt vero ei experimenta & argumenta multa, quae collegerat ad convellenda Needhamii & Buffonii systemata, copiosam materiem Latinae orationis, qua Academiae fores, ut ita dicam, ingressus est. Non tamen est tacendum ab homine, qui maximos labores molestiasque susceperat pro obtinenda nominis immortalitate, quique nunquam in suo studio atque opera cessabat, majorem diligentiam desideratam fuisse in instituendis privatim iis, qui Ticinum tanquam ad mercaturam naturalis philosophiae, moti praesertim fama illius, concurrebant. Fructus quidem ingenii & virtutis, omnisque praestantiae tum maxime capitur, cum in proximum quemque confertur. Sed Lazarus satis se consulere reipublicae & hominum utilitati arbitrabatur, si dum necessariis publicisque occupationibus atque curis vacuus erat, quod supererat temporis, in occultis quaerendis rebus, inventisque exponendis atque vulgandis consumpsisset. Quo in studio etsi praestare omnibus concupisceret, nolebat tamen esse solus, quin immo gaudebat quoties inveniebat veritatis amicos,

quorum labores vitaque omnis in naturalium phaenomenorum cognitione versabatur. Ex his quod primas deferre soleret Carolo Bonnetio, cujus paullo supra mentionem fecimus, ejus opus, quod inscribitur *Contemplatio Naturae*, Italicam in linguam vertendum, novisque observationibus illustrandum, suscepit. Quae praefatus est, sunt quidem doctissimi hominis, quae vero in illud addidit, experientissimi, nescias ut cuinam hujus paris hominum, inter quos orta jam erat honesta certatio gloriae, natura aditum ad ejus cognitionem magis patefecerit. Magnum cum his viris fuisse observationum commercium vel ex iis conjici potuit, quae de hybridis animalibus uterque disseruere, quaeque Mutinae vulgata fuerunt anno MDCCLXVIII. paullo antequam illud majorum vigiliarum opus emitteretur. Bene quidem ii judicarunt ortum hominis, insecti ceterorumque animalium, nec non plantarum immensum praebere philosopho campum, in quo illius solertia & acumen excurrere cognoscique potuisset, quare Spallanzanius nunquam experiendi finem fecit, perinde quasi novitas non magis, quam ma-

gnitudo rêrum deberet se ad exquirendas caussas excitare. Nihil ne tot saeculis rite ac vere explicatum putabimus? Nihil sane, cum plena errorum sint omnia philosophorum scripta. Bonnetius divinare coepit naturae vias, Hallerius, dum pullum in ovo contemplatur est, magnum accendit lumen, Spallanzanius, quae non satis antea luxerant, solertia prope incredibili illustravit adeo, ut demonstret & sensibus subjiciat, quae docet. Qua de re pluribus disseruit Senebierius, cum Gallicam in linguam vertisset, ac Genevae an. MDCCLXXXV. edidisset experimenta Spallanzanii, (1) quibus praesertim probat animantium & plantarum natura hoc commune esse, ut habeant in feminis & in seminibus omnia, quae sunt ad prodeundum in lucem neces-

(1) *Sic liber inscribitur:* Experiences pour servir a l'histoire de la génération des animaux et des plantes par M. l'Abbé Spallanzani &c. avec une ebauche de l'histoire des êtres organisés avant leur fécondation par Jean Senebier: a Geneve chez Barthelemi Chirol. in 8.

saria, ac foetuum, qui in illis concluduntur, esse quosdam, qui in utero, quosdam, qui extra uterum, quod in ranis praesertim expertus est, foecundantur. Quid calor in hac foecunditate & in conservando foetu efficiat, quid ad hunc se se explicandum augendumque conducat, studiosissime inquisivit, nec frustra ab eo susceptus labor videtur, ex quibus aliisque multis egregiam laudem retulit. Redibat saepe ad idem argumentum, quod omnium maximum atque obscurissimum in physiologia esse putabatur, nec quidquam in lucem proferebat, quod summa plausu non exciperetur a doctorum virorum coetibus, & in Gallicam non modo, sed & in Britannicam & Germanicam linguas non verteretur. Senebierius idem cum convertisset Dissertationes de physica animali & vegetabili Mutinae typis impressas anno MDCCLXXX. proposuit exempla a Spallanzanio petita de ratione instituendorum experimentorum, quae valeant ad definiendas physicas quaestiones, & ad medicinam novis inventis amplificandam, quo ex loco facile intelligi potest, quid de illo judicaret, et quid aliis

praescriberet. Tetigerat aliquid Spallanzanius in Prodromo, quod Senis anno MDCCLXXIX. vulgatum est ad Italicam encyclopaediam commendandam, de foecunditate, quae arte quadam comparari potuisset, qua in investigatione versari post illud tempus nunquam cessavit. Verecundia prohibeor declarare rationem, qua usus est suis in experimentis habendis, quaque magnam & maximam rem ab aliis non solum non tentatam, sed ne excogitatam quidem se omnium primum detexisse gloriatus est. Quidquid tibi ab illo audire utile erit, id mihi dicere necesse non erit. Hoc addam unum, nullam rem unquam investigandam suscepisse Spallanzanium, ad quam omnem curam, operam diligentiamque suam non contulerit, ut admirarentur omnes quantum in illo esset ingenii & constantiae, & quam late paterent ea, quae a natura illius voluntati quodammodo parente didicerat. In his vero inquisitionibus etiam atque etiam videbat, ne quid praejudicati afferret, & ne locum hypothesibus concederet, a quibus non ornatam amplificatamque physicam, sed deformatam fuisse jure meritoque

ajebat. Incensus idem cupiditate noscendi quae variis in regionibus rerum magna parens sparsit, quarumque multarum caussae etsi non reperiuntur, res tamen ipsae observari animadvertique merentur, anno MDCCLXXIX. totam peragravit Helvetiam & Rhaetiam, postea Massiliensem & Liguslicam oram & vicinas regiones; Byzantium (1) an. MDCCLXXXV. cum Venetae Reipublicae Legato ad Turcarum Regem profectus est, cumque in Italiam rediret, Transilvaniam, Valachiam, Pannoniam, ac Germaniam invisit, ac demum utramque Siciliam lustravit. Magnam ipse ex his itineribus gloriam, & historiae naturalis studiosi utilitatem cepere. Nihil dico quantis honoribus affectus fuerit a Caesare, dum Vindobonae fuit, ab iis, qui dominabantur regionibus, quas peragravit, & ab omnibus illis, qui eas decorabant doctrinae fama; quamvis enim haec gloriosa fuerint, gloriosiora etiam ar-

(1) Quot in mari Jonio et Aegaeo pericula subierit, quam dolenter celebriora Graeciae loca deformata omnibusque ornamentis spoliata adspexerit, ipse persecutus est.

bitror ea, quae scriptis mandavit, nunquam in his itineribus intermittens studia doctrinae. Vel unum Ligusticum mare suppeditavit illi mirabilem copiam observationum, exempli gratia de electricitate torpedinis, de qua antea nonnulla tetigerat, de natura animantium, quae plantarum speciem referunt, & eorum, quae in tubis habitant, de motu progressivo, ut loquuntur, echini marini, de moribus illin cancris, quem Bernardum eremitam nominant, de immenso illo animalium numero, quae microscopii ope licet videre in arena, & in luto, deque aliis hujusmodi multis, quae vel non satis cognita erant, vel prorsus observatorum oculos effugerant. Haud quoque parum lucis attulisse videtur mineralogiae, natura inspecta montium, qui referti sunt corporibus maritimis, & eorum, qui marmoribus, cujusmodi sunt Lunenses, vel metallis abundant. Non autem est silendum (quemadmodum enim virtutum, sic facultatum sunt quaedam, in quibus homines malunt excellere) ad eam laudem doctrinae & ingenii, quam sibi comparavit, animalium ortu & natura investigata, parum adjecis-

se mineralogicis observationibus, quarum in numero minime ponemus eas, quae ad vulcanos pertinent, quibusque collectam jam gloriam cumulasse videtur. Diu multumque secum dubitavit quae de Vesuvio, ceterisque Siculis vulcanis tradiderant tum veteres, tum recentiores physici, pleraque aut prorsus, aut non parum a vero abesse, & quae veritatis notas habere videbantur, disjugata esse adeo, nullam ut scientiam efficerent. Itaque in hoc elaborandum, omnibusque nervis sibi enitendum putavit, ut, cum ad vertices usque & hiatus ignivomorum montium non sine vitae periculo adscendisset, eorum formam, naturam, atque materiem, caussas & effectus ignis cognosceret. Atque in hoc toto genere eguit sane multarum disciplinarum, ac praesertim chemiae subsidio, quam facultatem etsi sero arripuerat, factum est tamen multo labore suo, ut ea sic uteretur, quasi vim naturae afferret ad sua aperienda mysteria. Postquam Vesuvium, Flegreos campos, atque Aetnam sedulo contemplatus est, contulit maxime suam perspicacem prudentiam, minimeque paventem animum ad perlustran-

das Eolias insulas, potuitque praesens ipse videre, et intelligenter diligenterque examinare, quae ceteri aut leviter, aut nihil omnino tetigerant. Infestum & periculosum iter & quae vel continuo ignescebant loca, minime retardarunt ejus industriam, cum res nulla plus apud eum polleret, quam investigatio naturae earumque regionum, in quibus admirabiliora erat videre naturalia phoenomena. In his exponendis non orationis vanitatem adhibuit: animadversa a se se sic narrat, ut omnia vera, simplicia, constantia se diligere, & vana, falsa & fallentia semper odisse ostendat. Ac ne illud quidem alienum a philosopho putavit, mores, instituta & leges populorum observata, & inter se se comparare, quae ad judicandum erant facillima homini, qui ea lege se natum dicebat, ut haberet principia naturae, quibus parere & quae sequi deberet, ut utilitas sua communis utilitas esset, vicissimque communis utilitas sua esset. Ex quo fiebat, ut cum nunquam cura & diligentia deseruerit serviendi humanae societati, seque probandi iis, quibuscum & apud quos vivebat. Porro nihil in-

solens, severum, maledicum, contumeliosum & superbum ab illo audisses, quanquam, ut fere accidere solet in maximis animis, splendidissimisque ingeniis, minime ab illo abessent honoris & gloriae cupiditates, dumque studiose anquirebat quid doceret, & quid aptum esset personis, temporibus & aetatibus, alienum potius, quam suum negotium agere dixisses. Videbat in primis quibus de rebus loqueretur, si de seriis, severitatem adhibebat, si de jocosis, leporem. Inerat vero in omni sermone, ut & in omni scriptione illius politior elegantia, quam continua lectione optimorum auctorum sibi comparaverat, cuique tantum tribuebat, ut sine ea mancam quodammodo atque imperfectam esse philosophiam putaret. In hac dum elaborabat, tanquam in possessionem suam venerit, vincebat omnes arte explorandi, inveniendique occulta, bene ut de eo dictum videatur a Bonnetio, (1) unum hominem plura &

(1) Lettr. sur div. sujets d'Hist. natur. Lettr. XLII.

majora detexisse paucorum annorum spatio, quam multorum illustriores Europae Academias. Inter ejus inventa maximi jure meritoque ducuntur, quae ad ciborum in ventriculo coctionem pertinent. Necesse illi fuit cibos vel in lineis sacculis, vel in ligneis tubis, perforatisque inclusos glutire & vomere, ut comperiret quid ad eos concoquendos succi praesertim illi, quos gastricos medici vocant, conducerent, quorum ea est natura, ut non acido, vel ammoniacali sale, quemadmodum chemici loquuntur, neque fermentatione, neque putrefactione egeant, suum ut opus operentur. Quanquam Florentini Academici, & post eos Reamurius in hac inquisitione gloriose sane elaboraverint, unus tamen Spallanzanius, multorum animalium stomachis musculosis, membranaceis, &, quos medios dicimus, inspectis, quid faciat coctionem certissimis experimentis ostendere potuit. Facile illi fuit ea diluere, quae his opposuit Jo. Hunterius clarus medicus Britannus, ex ejus dissensione occasionem sumens sua inventa, sane medicinae & chirurgiae utilissima, magis magisque confirmandi. Po-

terat fortasse multis videri transire modum, cum excitabat animadversionem & diligentiam, ut responderet iis, qui sua dicta in dubium revocabant; sed cum in lucem nihil proferret, cujus non modo probabilem, sed etiam certam caussam reddere non posset, ne hanc propter pigritiam, aut ignaviam deseruisse videretur, sibi ignosci postulabat, si interdum vehemens & forte nimis dicendi genus adversus objurgatores suos adhibuisset. Si qua vero erant, quae confirmatione egere arbitraretur, diligentiores & doctiores physicos invitabat ad renovanda experimenta, quod praesertim cognosces ex iis, quae de proprio incognitoque quodam vespertilionum sensu, proposuit per quem orbati oculis, volantesque facile declinare videntur vel levissimorum corporum pulsum. Sunt & alia multa partim edita, partim inedita, in quibus investigandis plurimum versata est Spallanzanii industria, quorumque mentionem minime fecimus, ut ea quasi pleniore ore laudaremus, per quae rerum physicarum scientia haud parum aucta esse videtur. Extremo autem tempore cum totus in eo esset, ut investigaret quae

manarent ad aerem ex respiratione animalium, & vegetatione plantarum, sperabat se quidem posse suppeditare medicis, qui quamvis artis praecepta perceperint, nihil magna laude dignum sine usu & experientia consequi possunt; utilissima et novitate gratissima, ex quibus facillime intelligerent quid ad aeris bonitatem conservandam, augendam, atque minuendam conduceret. Egerat antea, scribens ad Jobertum Taurinensem, de plantis quae clausae in vasibus aquae & aere plenis vel soli vel umbrae objiciuntur. Sed medio in cursu constitere ejus labores. Nam quamvis prosperrima semper usus esset valetudine, pristinumque robur conservasset, & nunquam senectutem stipatus studiis adolescentiae sibi gravem esse sensisset, repente coepit iscuria tentari, cui cum apoplexis accessisset subita morte extinctus est Ticini III. id. Februarii an. MDCCXCVIIII. Tanto viro amisso, magnum sane defuit Ticinensi Lyceo, universae Italiae, & Academiis quibus erat adscriptus (erant autem illustriores universae Europae) ornamentum, cujus cum saepenumero admirari solerem excel-

lentem perfectamque sapientiam, tum vel maxime quod ad bene beateque vivendum omnia bona a se ipso peteret, & artes exercitationesque virtutum ab eo in omni aetate cultas ipsi doctrinae anteponendas esse putaret.

OPE-

OPERA EDITA.

Riflessioni intorno alla traduzione dell'Iliade del Salvini: Parma 1765. nella Stamperia dei Fratelli Borsi in 8.

Lettere due sopra un viaggio nei monti del Reggiano ed al Lago di Ventassa *Extant in vol. IX.* della nuova Raccolta di opuscoli scientifici e filologici del P. Calogerà.

Dissertazioni due: Modena 1765. per gli eredi di Bartolommeo Soliani in 4. *Alterius titulus est*: Saggio di osservazioni microscopiche concernenti il sistema della generazione de' Sigg. di Needham e Buffon, *alterius autem* de Lapidibus ab aqua resilientibus.

Lettere due sopra gli animali delle infusioni e sui nuovi pensamenti in proposito del Sig. di Needham. *Extat in vol. III.* del Giornale d'Italia spettante alla scienza naturale ec. Venezia pel Milocco 1767.

Memorie sopra i muli di varj Autori (*hoc est* Bonnet. Spallanzani, Hebenstreit & Klein) Modena 1768. nella stamperia di Giovanni Montanari in 8.

Dell'azione del cuore nei vasi sanguigni nuove osservazioni: Modena 1768. nel-

la stamperia di Giovanni Montanari in 4.

Prodromo di un'opera da imprimersi sopra le riproduzioni animali: Modena 1768. nella stamperia di Gio. Montanari. *Opus hoc conversum fuit in linguas Gallicam, Germanicam & Britannicam. De eo vide Acta Parisiae Scientiarum Academiae an. 1768. p. 33*

Contemplazione della Natura del Sig. Carlo Bonnet tradotta in Italiano e corredata di note e di curiose osservazioni. Tomi II. Modena 1769. appresso Gio. Montanari in 8.

Prolusio habita in Regio Ticinensi Gymnasio: Mutinae 1770. apud Montanarium in 8.

De' fenomeni della circolazione osservata nel giro universale de' vasi, de' fenomeni della circolazione languente, de' moti del sangue indipendenti dall' azione del cuore, del pulsar della arteria: Dissertazioni quattro; Modena 1773. presso la Società tipografica in 4.

Opuscoli di fisica animale e vegetabile, aggiuntevi alcune lettere relative ad essi opuscoli dal celebre Sig. Carlo Bonnet di Ginevra, e da altri scritte all' Autore. Tomi due: Modena presso la Società Tipografica in 4. *Jo. Se-*

nebierius haec opuscula Gallicam in linguam vertit, ediditque Ticini 1787.

Della fecondazione artifiziale. *Egit de hac re in Prodromo* della nuova Enciclopedia Italiana: Siena 1779.

Dissertazioni di Fisica animale e vegetabile Tomi due: Modena 1780. presso la Società Tipografica in 4. *Senebierius has dissertationes transtulit Gallicum in sermonem, ediditque titulo*, considerations sur la methode de faire des experiences, & les consequences pratiques qu'on peut tirer en medecine des decouvertes de M. Spallanzani: A Geneve chez Chirol 1784. & 1786.

Resultati di esperienza sopra la riproduzione della testa nelle lumache terrestri: Memorie due: *Harum Dissertationum altera extat in volumine I., altera autem in volumine II.* delle memorie di matematica e Fisica della Società Italiana: Verona ec.

Lettera sulla fecondazione artifiziale e sulla elettricità delle torpedini: *Extat in volumine VI.* degli opuscoli scelti sulle scienze e sulle arti: Milano presso Giuseppe Marelli 1783.

Lettera prima relativa a diverse produzioni marine. *Invenies ipsam in citato volumine II.* della Società Italiana, &

in volumine VII. degli opuscoli scelti ec.

Lettera seconda relativa a diversi oggetti fossili e montani *in vol. II.* della Società ec. & *in volum. VIII.* degli opuscoli ec,

Observations importantes sur l'usage du suc gastrique dans la Chirurgie, assemblees par Jean Senebier, avec quelques additions de M. l'Abbe Spallanzani à ses experiences sur la digestion: A Geneve chez Chirol 1785.

Lettera apologetica in risposta alle osservazioni sulla digestione del Sig. Giovanni Hunter: *Extat. in vol. XI.* degli Opuscoli scelti ec.

Osservazioni sopra alcune trombe di mare formatesi sull'Adriatico il dì 23 Agosto 1785. *Relatae sunt in volumen IV.* delle memorie della Società Italica.

Lettera sopra d'un fulmine ascendente. *Extat in volumine XIV.* degli opuscoli scelti; *quo in loco extat etiam*.

Lettera sugli esperimenti di Pennet.

Viaggi alle due Sicilie ed in alcune parti dell'Appennino Tomi sei in 8. Pavia 1792. nella stamperia di Baldassarre Comino. *Extat in volumine III. Dissertatio* intorno a diverse produzioni vul-

caniche de' monti Euganei. *Sextum vero volumen continet opuscula varia* sopra diverse specie di Rondini; sopra l' uccello notturno da preda da diversi naturalisti chiamato *Strix scops*; ed in alcune Provincie d'Italia *chiuino*: sopra le Anguille, dove singolarmente si ragiona di quelle, che si pescano nelle valli di Comacchio.

Lettera sulla elettricità organica e minerale di Pennet. *Extat in volumine IX.* degli Annali di chimica e di storia naturale del Professore Brugnatelli.

Memoria sulle meduse fosforiche. *Extat in vol. VIII.* delle memorie della Società Italiana. *Tota componitur ex iis, quae attulerat* in Cap. XXVII. de' Viaggi alle due Sicilie.

Lettera sopra il sospetto di un nuovo senso nei Pipistrelli: Torino 1794. in 8. *Vide quae nos attulimus in vol. XCIII.* del Giornal Pisano dei Letterati.

Risposta ad una lettera scritta all'Autore intorno all'elettricità animale. *Extat in vol. VII.* degli Annali di Chimica e di Storia naturale, *de quibus supra mentionem fecimus*.

Lettera sulla pioggia di sassi avvenuta in Toscana nel Giugno 1794. *Extat in vol. XVIII.* degli opuscoli scelti ec.

Lettera intorno alle riflessioni ed esperienze del Sig. Professore Gocaling sulla Chimica anti-flogistica. *Extat in volumine XIX.* degli opuscoli scelti ec. *quo in loco extant etiam.*

Alcuni sperimenti per conoscere la differenza fra il gaz idrogeno naturale, il metallico e quello delle Paludi, *quae experimenta locum habuerant in Capitibus XXXIX, & XL.* dei viaggi alle due Sicilie.

Chimico esame degli sperimenti del Sig. Goettling Prof. a Jana sopra la luce del fosforo di Kunkel osservata nell' aria comune e in diversi fluidi aeriformi permanenti, nella quale occasione si esaminano altri fosfori posti dentro ai medesimi fluidi, e ricerca se la luce solare guasti il gaz ossigeno, siccome pretende questo Chimico: Modena 1796. presso la Società Tipografica in 8.

Descrizione ed uso dell' Eudiometro del Sig. Giobert. *Extat in vol. XIX.* degli opuscoli scelti.

Lettera ad un suo amico di Mantova: Pavia presso Baldassare Comino 1796. in 8.

Lettera sulla digestione degli uccelli da preda notturni. *Extat in vol. III.* degli Annali di Chimica e Storia naturale.

Lettera sopra le piante chiuse nei vasi dentro l'acqua e l'aria ed esposte all' immediato lume solare e all' ombra: *Extat in volum. XX.* degli opuscoli scelti ec.

Lettera al C. Vans-Mons di Brusselles: Pavia 1798. *Multa idem inedita reliquit, quae pertinebant* alle Riproduzioni animali, alla storia del mare, al viaggio della Svizzera, di Costantinopoli, e luoghi confinanti, ai pipistrelli accecati, e alla influenza della respirazione degli animali, e della vegetazione delle piante sull' aria. *Haec postrema, quae imperfecta reliquit, destinaverat ornamento voluminis VIII.* delle memorie della Società Italica.

ANGELUS FABRONIUS

ALEXANDRO OTTOLINIO

S. P. D.

Ciceronis est dictum, neminem unquam extitisse neque oratorem, neque poetam, qui quemquam meliorem, quam se arbitretur. Id ipsum fortasse arripies ad me reprehendendum, quod ausus fuerim, postquam Bernardus Bertius civis tuus Latino commentariolo tibi inscripto vitam Beverinii declaravit, eamdem incudem tundere, quasi putaverim aliquid a me perfectius fieri potuisse. Non sum tam insolens scriptorum meorum aestimator, ut prae his aliena parvi faciam: laborum meorum tum fructum tulisse arbitrabor,

si quae alii multis, ego paucis exponam; propositum est enim uno volumine vitas plurium doctrina excellentium virorum comprehendere. Adde quod non desunt, qui minime reverentur assentandi suspicionem, quique sic judicant de scriptis eorum, quorum res gestas historiae monumentis mandandas susceperunt, ut laudare omnia sibimet imperasse videantur. Mihi quidem res incorrupta fide tradere professo, ut verae laudi detrahere, ita falsae quidquam affingere religio semper erit, quod ex hac Beverinii vita facile judicare poteris Quanquam enim pro sua exquisita doctrina et singulari industria multa literis consignaverit, duo tamen pleniore ore tantummodo laudanda putavi, poeticam scilicet interpretationem Virgilii Aeneidos, et annales Lucensium rerum, ad quorum alterum perficiendum opus fuit praestanti ingenio, summaque facultate poetica, ad alterum non ingenio solum, sed etiam diligentia, prudentia, perfecta eruditione, atque ea styli Latini elegantia, quae per

se invitaret atque alliceret lectorem ad noscendas res, quae quamvis magni intersunt ad decus et laudem civitatis, tanti tamen non sunt, ut varietate et magnitudine semper occupare queant alienigenarum animos. Dolendum sane quod opus hujusmodi summa industria elaboratum lateat adhuc in tenebris. Vide ne queraris esse in eo quaedam, quae ipsum florem dignitatis et libertatis vestrae Reipublicae infringere videantur. Si inverecundum animi ingenium possedit Paullus Guinisius, ut concupierit libera in civitate dominari, quantum libebit illum accusabis, multa licet praeclara pro bono suorum gesserit; sed non propterea quasi communi vituperatione reprehendes Beverinium, quod eumdem omnium maxime dignum praedicaverit, qui patriae imperaret, si in ea urbe natus esset, quae dominos pati posset. Nam sine ullius nedum caede, aut sanguine, sed ne contentione quidem imperium Reipublicae a populo in se translatum per annos fere tri-

ginta tanta clementia ac moderatione tenuit, ut qui eum crudelem, acerbumque tyrannum dixere, eos invidiam potius, quam fidem in consilio habuisse constet; nam si tributa desumpseris, quae non hominis, sed temporum fuere, cetera lenis et incruentus fuit, vel cum iis, quos mortem proditione meritos exilio multare satis habuit: nil in eo arrogans, nil superbum, nullae libidines, nulla ne juveni quidem nisi ex concesso voluptas, ut Paulli principatus conditionem temporum aestimanti non oppressio vocandus sit, sed depositum libertatis. Utinam tanti viri, ut vita, sic mors gloriosa fuisset. Haec ex Beverinii ipsius historia exscribere libuit, ut intelligatur hominem veritatis cupidum affectus alienos in illam minime transtulisse. Tu qui moderatione et prudentia excellis, quique liberalitate sic gaudes, ut maximum fructum pecuniae existimes illum, quae in patriae decus impenditur, debitas Beverinio laudes tribues, et efficies, ut quae is patriae ipsius laudibus

consecravit, tandem in apricum proferantur, quae eo gratiora erunt, quo pauciores sunt historici rerum Lucensium, quorum nullus, quod sciam, in lucem prodiit. Vale.

Pisis Kal. Nov. 1802.

BARTHOLOMAEUS BEVERINIUS.

Saeculo humanioribus litteris fatali natus est Bartholomaeus Beverinius, cujus voces et exempla, postquam etiam ipse pessima consuetudine corruptus redierat in viam, si valuissent, unus Barbariem quae eloquentiam praesertim et poesim infuscaverat, ab Italia depellere potuisset. Patriam habuit Lucam, quo ex Beverino oppido in Apuanis sito ejus majores mercaturae faciendae gratia commigraverant, parentes vero Bernardum et Claram Pierottiam Lucenses cives, qui eum susceperunt v. non. Maii an. MDCXXIX. Praeceptores tum grammaticae, tum rhetoricae, quos puer audivit, cum es-

sent totius rationis ignari, qua comparatur naturalis, non fucatus, qui tum solus erat in honore, nitor, ipse sibi sic consuluit, ut aliquando quae recta ac prava essent dijudicare potuisset. Nam legebat Latinos poetas, et exercitationis caussa interpretabatur, pervolutabat omnium bonarum artium scriptores atque doctores, ac praesertim historicos atque oratores, et quidquid erat in quaque re, quod maxime excellere sibi videbatur, non solum notabat, sed etiam memoriae mandabat. Decimum supra sextum aetatis annum agebat, cum Romam concessit, nomen daturus Sodalitati illi, quae Lucae ortum habuit, quaeque a Matre Dei vocitatur; nam, vel a tenerrima aetate in Deum et Deiperam pietatem sic coluit, ut in illius moribus nil nisi castum, pudicum et sanctum apparuerit. Expleto tyrocinio sedulam philosophiae operam navavit, ac post modum theologiae tanto quidem cum successu, ut ex disciplulo magister evaserit. Mirum prorsus erat illius acumen, cum disputandum erat quod verum esset, aut quod probabile videri posset, eliciendum atque dicendum; qua in re laudatorem habuit vel

ipsum Cardinalem de Lugo, qui tum princeps theologorum habebatur et erat. In his occupationibus nunquam praetermisit studia humaniorum litterarum, periclitans saepe ingenii vires in orationibus et carminibus scribendis. Ex his in lucem protulit melodramata quaedam sacra, idylium de Joanne Leonardio Sodalitatis suae institutore, deque sociis ejus Jo. Baptista Cionio, et Caesare Franciotto, quod laudes quoque complectitur B. M. V. cui se famulari ii viri gloriabantur, et epicedia de Sanctis Virginibus et Martyribus Agnete et Cecilia in quam tanto ferebatur amore, ut illius vitam declarandam susceperit. Haec cum ad manus pervenissent Antonii Magliabechii, gratulans Beverinio optare se pronunciavit, ut omnes qui in hoc scriptionum genere elaborabant, ejus imitarentur diligentiam in colligendis monumentis, judicium in perpendendis, elegantiam in esponendis. Quanquam libentissime esset Romae, hoc tamen se debere civibus suis munus putavit, ut institueret praeceptis rethoricae adolescentes, qui scholas sodalitatis suae frequentabant. Neque multo post hoc ipsum susti-

nuit onus in collegio clericorum, qui S. Michaelis, ut ajunt, Ecclesiae militant. Operam suam ut tum primum venalem haberet, coegit eum paternae familiae charitas, quae prostrata jacebat non tam ob angustiam rei familiaris, quam ob inlatam a fratre avunculo necem. Scilicet quod volebat consecutus est, ut aliqua ex parte allevaret sollicitudines illius, cui ne postea deesset, (jussus enim fuit iterum Romae tradere suis divinas disciplinas) fecit liberalitas Francisci Guinisii, qui sodalitatis praefecturam gerebat, cujusque virtutes generis nobilitatem et gloriam majorum aequabant. Magnus tum honos in illa urbe habebatur litteris, auspice et patrona Christina Svecorum Regina, quae ab iis gloriam, quam a regno, quo se abdicavit, minime speraverat, polliceri sibi videbatur. Capta haec eruditione, suavissimis moribus et virtutibus Beverinii, saepe ejus doctissimos sermones requirebat, ipsumque invitabat ad pangenda carmina, et ad aemulandos illustriores poetas, qui id maxime nitebantur, ut suum cum Reginae ipsius nomine immortalitati commendarent. Dum illius voluntati morem gessit, nonni-

hil quoque saeculo indulsit, ab inflato et fucato dicendi genere prorsus non abstinens, quod ea mente fortasse fecit, ut hoc habitu cultuque paullatim revocaret homines ab iis vitiis, quae non inopia ingeniorum, sed novitatis amore et desidia juventutis, et inscitia praecipientium, et oblivione moris antiqui non solum poesim, sed & omnes liberales artes misere corruperunt, quae mala primum in urbe nata mox per Italiam adeo se se fuderunt, ut, si unam excipias Etruriam, nullus extiterit locus, quo non pervaserint. Beverinio Romae commoranti omnia abunde erant, potentiorum gratia, ingenii fama, suorum charitas, neque deerant, qui illius modestiam tentarent pollicitando fore, si permanere vellet suis in artibus, ut illi honores amplissimi ultro deferrentur. Sed animus liber ab horum cupidine, ut vel eos semper recusaverit, qui a sodalibus suis illi offerebantur, maximum quaestum existimabat alieno arbitratu vivere, et ita moderari studia sua, ut minime fortuna egeret, quippe quae probitatem, industriam, aliasque bonas artes neque dare, neque eripere potest. Haud sa-

ne alio animo paruit honorificentissimo Senatus Lucensis decreto, quo illi publica eloquentiae cathedra deferebatur, postquam in Martiniana Basilica, sacras ad populum conciones habuerat, et funebri oratione laudes celebraverat Hieronymi Bonvisii Cardinalis, et ipsorum Lucensium Antistitis, nisi quia confidebat posse se utilem operam navare civibus suis. Nam ipsa eloquentia, nedum ejus cathedra, postquam quadraginta ante annis illam regere desierat Guido Vanninius, vir sane multis litteris eruditus, obmutuisse videbatur. Imitari sibi proposuit industrios agricolas, qui incultum et derelictum solum ita diligenter colunt, ut quo diutius quievit, uberiores afferat fructus. Itaque non contentus communibus et pervagatis praeceptis, nihil eorum negligebat, quae oratori cognoscenda esse ducebat, de naturis hominum, de moribus, de rationibus iis, quibus hominum mentes & incitantur et reprimuntur, de historia, de antiquitate, et quod maximi faciebat in libera civitate, de administratione reipublicae, quarum rerum omnium copiam in instrumento Beverinii fuisse minime dubita-

veris. Dum vero commemorabat, quot quantaque bona ab una eloquentia manarent, enumerabat etiam, solitus omnia ad virtutem referre, quanta per viros eloquentissimos importata fuissent detrimenta. Neque sane alienis et remotis egebat exemplis. Nam vox Aonii Palearii, qui hoc ipsum suggestum occupaverat, quasi haereseos flabellum, tot erroribus multorum nobilium juvenum mentes impleverat, ut nisi ii, quasi struma civitatis ab hac in longinquas terras amandati fuissent, de incolumitate Reipublicae desperandum videretur. Ut ad eam doctrinam, quam suo quisque studio assecutus esset, adjungeretur usus frequens, qui omnium magistrorum praecepta superat, multae et variae erant exercitationes, quas a discipulis suis exigebat Beverinius, ut de omni re, quaecumque esset proposita, ab iis ornate copioseque diceretur, utque mature discerent conformare orationem non solum electione, sed etiam constructione verborum. Proponebat illis praesertim ad imitandum Ciceronem, et exempla multa sumebat ex Tito Livio, in quibus totam formam perfectae eloquentiae

licet intueri. Profecto iis temporibus non prudentiorem Beverinio magistrum invenisses; quare minime est mirandum, si actum est de illo addicendo Pisanae Academiae, in qua nulla unquam vehementius, quam eloquentiae studia viguerunt. Sed neque spes uberiores, nec praemia ad docendum ampliora plus in eo valuerunt, quam civium suorum charitas, quorum auribus saepissime inculcabat, si eam Rempublicam, quam vel majorum consiliis, vel avitis armis florentissimam acceperant, ista praeclara gubernatrice civitatum eloquentia rexissent, fore ut immortalitatem sibi polliceri potuisset. Studiosis dicendi suadebat ut cum Latinis Italica conjungerent, utque pares essent in utriusque orationis facultate, ad quod obtinendum quia plurimum conducere arbitrabatur nobilissimas orationes ex Latinis Italicas facere, sententiis iisdem, et earum formis tanquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis, ad hoc exercitationis genus saepe eos vocabat. Se autem bene mereri de Italica poesi putavit, si postquam operam collocaverat in vertendis formulis quibusdam ex Plauto, Terentio, ac Petro-

nio Arbitro collectis (miror equidem hominem qui in veteribus erat scriptis studiose et multum volutatus, tantum concessisse Petronio, ut parem quodammodo fecerit iis scriptoribus, quorum ore ipsae Musae locutae esse videntur (1)) Italicis versibus ita expressisset Virgilii Aeneidon, virtutibus illius ut uteretur omnibus, id est sententiis et earum figuris, et rerum ordine, verba persequens eatenus, ut ea non abhorrerent a natura et indole Italicae poeseos, melius ut non potuisset Virgilius ipse, si his nostris temporibus vixisset. Vidit ipse opere in longo fastidium minime posse vitare, si solutos, ut loquimur, versus adhibuisset, et Italicam epopeiam praesertim gaudere illo metri genere, quod *octavam* dicimus, per

---

(1) *Opella haec Lucae typis Pacii impressa fuit an. 1666. Iterum vero edita circumferri coepit inscripta nomine cujusdam religiosi hominis e Societate Clericorum Reg. Pauperum Matris Dei ad usum Scholarum Piarum, qua de re acerba quaestus est Sebastianus Paulius in adnotatione quarta ad Georgii Walchii praefationem in Bartholomaei ipsius Beverinii Syntagma de ponderibus et mensuris Neapoli an. 1719. Felicis Muscae typis impressum.*

quod ab Areosto et Tasso ita nobilitata fuit, nullam ut aliam honoris gradu superiorem habeat. Summi ii licet fuerint hujus metri artifices, ista tamen poetica supellex, quae est in ornamentis rerum et verborum, in quibus nihil sonare aut olere peregrinum, et humile videtur, et ubique retinet granditatem et numerosum in omnibus vocibus, sonis, et aequalibus intervallis, fuit adeo in potestate Beverinii ut, siquid judico, par illis fere esse possit. Nullus vero erit qui non intelligat majori illum in difficultate versari, qui alienos sensus, quam qui proprios poetice exprimere adlaborat, sicque exprimit, ut non libentius legas Virgilium, quam ejus interpretem. Id ut obtineret, se non annumerare verba et versus oportere lectori putavit, quod si fecisset, omni sibi praecisa libertate aliquid de suo, sed parce et apte, addendi, male quidem de nostrate poesi meritus esset. Vere hoc mihi videor posse dicere, ex omnibus iis qui versibus Italicis Virgilium reddere adlaborarunt, Beverinium quod erat difficilius, si metri genus spectes, suscepisse, et felicius perfecisse, quanquam perpaucis opus suum adsperserit maculis,

quas aetatis illius potius, quam poetae dixeris. Postquam hanc interpretationem (1) quae brevissimo XIII. mensium spatio absoluta putatur, satis laudavero, nihil attinet dicere de ceteris Beverinii poeticis scriptis, a quibus nominis immortalitatem, quamvis multa praeclara habeant, sperare minime potuisset. Eodem tempore, quo in ipsa elaboravit, magnum opus habebat in manibus, annales videlicet Lucensium rerum ab ultima urbis origine ad annum usque MDLXXXVIII. Quinderim in libros illos distribuit, imitatusque Livium et Tacitum, verbis et sententiis elegans et pressus ut esset, vehementer studuit. Conciones interposuit, regiones descripsit, bella narravit, externa quoque multa, quae dignitatem et opportunitatem habebant, commemoravit, mores eorum, qui in republica primas tenuere, ad vivum finxit, et ut paucis dicam, quidquid memoria dignum Lucenses sui domi forisque, in pace et in bello gesserunt, ornate politeque declaravit. Tanti opus istud historicum

(1) Prodiit haec primum Lucae an. 1680. typis Hyacinti Pacii et Leopoldo I. Caesari nuncupata fuit.

ecit Jo. Mabillonius, cum illud dum Lucae erat, et jucundissima Beverinii consuetudine utebatur, legisset, ut ipsum ad Regiae Parisiensis bibliothecae ornamentum exscribendum curaverit. Contigit mihi quoque illud ipsum in manibus habere, nec satis mirari potui extitisse unum hominem, qui, dum religiosis officiis, scholasticis exercitationibus, in quibus erat diligentissimus, occupabatur, et multum temporis concedebat carminibus, panegyricis orationibus, concionibus, inscriptionibus et epistolis exarandis, genus istud scriptionis tam praeclarum, et tam utile tractare elegantissime potuerit, illis praesertim temporibus, quibus omnis foetus repressus, exustusque flos veteris latinae elegantiae atque ubertatis exaruisse videbatur. Ne quis vero suspicetur me nimis effusum esse Beverinii elegantiae laudatorem, infra subjiciam quae de Mathilda Comitissa, et Castruccio Antelminellio, per quos Lucensium res mirum in modum crevere, praedicavit: ex his enim de ceteris judicium fieri poterit (1). Non satis vero constat, quae causae impediverint, quominus in lucem prolatum fuerit opus, quod mer-

cedem gloriae flagitabat ab iis, quorum patres majoresque affecerat gloria, cujusque de laudibus omnium est fama consentiens. Id fortasse tribues auctoritati quorumdam hominum, in quorum majoribus desiderata est conspiratio ad republicam bene gerendam. Incidunt quidem saepe tempora in liberis civitatibus, quibus quae optima sunt rejciuntur, et contraria decernuntur, quod in se ipso experiri Beverinius potuit. Nam nisi obstitisset auctoritas amplissimi viri Francisci Tegrimii, ipse a scholis amotus, ejusque in locum suffectus fuisset Laurentius Adrianus, nullius nominis homo. Poenituit postea Senatum hujus consilii sui, auctaque Beverinio mercede, laudavit ejus studium et diligentiam, quod non solum Italicis et Latinis, sed etiam Graecis litteris juventutem instrueret. Alia et is perpeti debuit a civibus suis. Extitit homo sine pudore et fronte, qui ausus fuit tota vulgare urbe Beverinium imitari graculum superbum, quod pro aliena pro suis venditabat. Tacite ille hanc impudentissimam injuriam perpessus est: erat enim patientia et modestia singulari. Sed ejus perfamiliaris Dominicus Ber-

tolius in corona doctorum hominum cum recitasset, suppresso nomine Beverinii, a quo prodierat, epicedium in funere Clementis IX. summi Pontificis, huic plauserunt omnes, et ipse calumniator. Tum Bertolius ad illum conversus: inspice, ait, autographum lituris conspersum, multisque in locis castigatum: quam tu non modo impudens, sed etiam stultus esse convinceris! Expalluit ille, et hiscere amplius non est ausus. Magnum exceperat odium Beverinius a nobili juvene ob religionis caussam defensam. Cum hic curru vectus extra urbem solitario in loco in reprehensorem suum equo insidentem forte incidisset, jussit aurigam cum equo in subjectam fossam ipsum praecipitem agere. Frustratio tam amentem furorem in illo excitavit, parum ut abfuerit, quin, stricto gladio, in illum saevierit; rediit postea, stimulante conscientia, in se ipsum. Homo Christi praeceptis imbutus non solum pudenti commissum facinus non exprobravit, sed ita in illum se gessit, ut officiorum frequentia totum sibi devinxerit; quae referre libuit, ut intelligatur, quam facile Beverinius injurias toleraret atque obliviscceretur.

At si virtutis hostes, et laudis inimicos experiri is debuit, non prôpterea vel minimum declinavit de via, quam tanta bonorum approbatione, et sui, et patriae gloria inverat. Vir supra quam credibile est industrius, et otii inimicus, aggressus erat scribere de Turcico bello, deque partis a Leopoldo Caesare victoriis; verterat in Italicum Livianam belli secundi punici historiam; supremam jam imposuerat manum operi, quod inscripsit, *syntagma de ponderibus, et mensuris, et de Romanorum comitiis*, quod editum a Georgio Walchio primum fuit Lipsiae, ac postea Neapoli a Sebastiano Paullio cum additamentis quibusdam; et cum rediret saepe ad musas veteres amores suos, nil magis optabat, quam solvere fidem datam Mabillonio, qui ab eo se exigere posse putavit, ut postquam Latino carmine prosecutus fuerat immortales laudes Ludovici XIV. Gallorum Regis, eidem quoque gratularetur et plauderet ob abrogatum Nannetense edictum latum ab Henrico IV. ad moderandas poenas, quae fuerant Calvinianae haereseos sectatoribus constitutae. Sed quominus multa, quae mente volvebat, quae-

que inchoaverat, absolvere posset, impedivit infirma valetudo, qua diu conflictatus est, quaeque ei cum repente ardens febris accessisset, necessitatem ex hac vita migrandi attulit. Extinctus est IX. Kal. Novembris an. MDCLXXXVI. aetatis annum agens LVII. menses V., ac nemo fuit, qui reminiscens quot ornamenta, quantasque utilitates ab Beverinii opera, ejusque sanctissimis exemplis civitas Lucensium retulisset, ejus funeri non illacrymarit. Gratulor mihi, quoties contigit commemorare honores habitos virtuti: in ea enim tempora, sane infelicissima devenimus, quibus homines nocentissimi alienam famam suum dedecus existimantes, quaecumque libuit sapientibus et religiosis viris probare, reprehendere atque decernere pro nihilo habent, atque eo vecordiae procedunt, ut ostentantes malitiam, dolum, et impudentem licentiam, quae a Deo et natura ad salutem et conservationem generis humani concessa sunt, ad ejus perniciem convertant.

(1)

EX LUCENSIBUS ANNALIBUS

BEVERINII

MATHILDIS ELOGIUM.

Ingentem non Lucensibus modo, quibus et civis et domina auferebatur, sed toto Christiano orbi, luctum insequens annus tulit, Mathildis morte, quae longa septem mensium valetudine ad maciem redacta, IX. Kal Augusti extincta est, apud Bonderum Ferrariensis agri oppidum anno aetatis sexagesimo nono, exitu haud immaturo, si immortalitatem meriti sero unquam morerentur. Quippe in eam foeminam, si hoc illam nomine appellare fas est, quidquid magni ac praeclari virtus aut fortuna habent, certatim congesserant. Vetus familiae splendor, ac innexa Regum Caesarumque sanguini domus: imperium per Etruriam, Galliam Cisalpinam, Aemiliam Liguriamque prolatum, paullo infra reges: ingenium illi animusque supra viros; pietas ac religio

etiam supra feminas. Tot populis una jus reddere ea aequitate, ut nemo principem, ea clementia ut nemo matrem in illa desideraret. Eadem pacis, eadem belli artibus instructa: ita otii et tranquillitatis amans, ut, temporibus serviens, etiam arma tractaret. Quoad vixit Italicarum rerum arbitra ac magistra Regum alios fugientes excepit, alios fugavit. Pontificum Maximorum altrix, quorum plures sanctimonia insignes exules esse prohibuit, impios sacrilegosque in exilium ejecit, pia aeque et dum excipit, et dum expellit: liberalis eadem, ac in aedificando magnifica, quaedam oppida condidit, alia muris ac munitionibus cinxit, aliaque publica opera, arces, vias, pontes passim extruxit, praecipue templis, sacrisque aedibus exstruendis censuque ditandis profusa: eximio in Romanam Ecclesiam studio, quam moriens patrimonii sui reliquit haeredem. Pudicitia ac sanctitate morum fuit singulari: inter repetitas nuptias flore servato, et post duo matrimonia virgo, nec in tanta fastigii rerumque gloria, laus illi litterarum ac eloquentiae defuit, solita, nullius adjuta ingenio, gravissimarum rerum epistolas ad

Reges Pontificesque scribere, Legatisque variarum gentium patrio cujusque sermone responsa reddere; bibliotheca etiam condita, ubi sacrorum ingeniorum monumenta servarentur, Lucensibus praecipue memorabilis, apud quos genita ac educata, natalibus ac longo domicilio felices, caeterisque gentibus invidiosos fecit, pluribus magnificentiae vestigii apud eos relictis. Siquidem ea imperante urbs moenibus firmata, Basilica Martiniana extructa, Antistites dominatione aucti, vetus Longobardorum regia restituta; Nuptianum, valida adversus Pisanorum excursiones munitio, apud Aesarem conditum, ubi adhuc illius aedes ab incolis monstrantur, ejusque imago principis habitu ad vetus Praetorium picta, usque ad nostram memoriam stetit, donec temporum ac vetustatis injuria exolesceret. Corpus Mantuam delatum ad D. Benedicti aedem prope Padum Larionemque sepultum, donec Urbanus VIII. P. M. cineres Romam avectos, egregii operis sepulcro in Vaticano condidit, simulacro ac titulo principis feminae in Ecclesiam Romanam merita ad posteritatem professus. Hanc quoque felici-

tatam inter caeteras post mortem adepta, ut ejus res gestae tot aliis memoratae novissime pari eruditionis ac eloquentiae gloria, in unum collectae a scriptore clarissimo plenius uberiusque traderentur.

CASTRUCCII ELOGIUM.

Is erat Castruccius, ut quoniam ita ferebant tempora, nullius manu libertas honestius periret. Quippe inerant illi omnes egregiae artes virtutesque, quas in magnis regibus ducibusque sapientes cupiunt magis, quam inveniunt. Excelsa animi indoles, acre ingenium, vigorque spiritus, nedum supra privatos, sed supra Principes. Ad haec consilium excellens, solertia in cavendo, sagacitas in providendo; nec minus in subeundis periculis audax, quam intra pericula imperterritus. Nihil temere moliri, nihil aggredi: aciem primus ingredi, novissimus excedere, nullo sequi recusante, cum exemplo imperaret; nemo hostibus magis ex insperato adesse; celeritatem in bello maximam partem victoriae ratus. Veteris militiae disci-

plinam gentium barbararum stolida ferocia bellantium vitio collapsam revocare nemo illo plus aut scivit aut potuit; rei militaris gloriaeque restitutor merito appellatus. Nullus eo callidior instruere aciem, castris locum capere, urbes oppugnare aut tueri, omnia non minus Romano more, quam virtute agere, inde caeteris earum artium ignaris mirandus pariter ac metuendus; saepe solo nomine victor, non armis, quam fama plura conficere. Vini cibique modicus, somnique ac caeterarum remissionum intra naturale desiderium modus finitus; eadem illi frigoris calorisque tolerantia, corpusque adversus labores invictum. Simulandi ac dissimulandi artifex; idem severus, idem comis blandusque; cum omnes illum metuerent, omnes amabant. Prompta illi facundia, magnum imperatorum telum, quo ipsa arma in bellis armantur; conciliandis vulgi studiis maxime efficax; alios comiter appellando, alios spem pretiumque ostendendo, plerosque beneficiis emere; nullius rei, nisi gloriae laudisque avarus; quaeque raro inter militares virtutes locum habent, fides atque religio illi dilectae, seu verae,

seu fictae semper gerendis rebus ingens momentum. Haec tanta ingenii animique bona commendabat prospera valetudo, procerus corporis habitus, oris temperatus majestate decor, igneus oculorum vigor, sufflava caesaries, vocis sonus et caetera, quae apud militare vulgus pro virtute habentur. Ad haec perpetua felicitas; tot gentes victae, tot urbes arcesque perdomitae, id valuere, ut non alumnus modo, sed pene fortunae dominus putaretur. Obstabat tot laudibus erga victos crudelitas, non tam ipsius quam saeculi vitium, quippe, divisis inter se non gentibus modo urbibusque, sed etiam privatis domibus, fatali Guelforum, Gibellinorumque rabie, in bellis odia magis, quam caussae valebant. Praeterea Pontifex contemptus, defensus Bavarus, secessio religionis armis asserta, id effecere, ut famam magnam potius, quam bonam posteris relinqueret. Sed juvenilis aetas, victoriae impotentia, acerbitas temporum praecipua in culpa; peccandique licentiam dolendo in extremo spiritu, objecta poenitundo, apud justos rerum aestimatores aut excusavit, aut absolvit.

OPERA EDITA.

Saeculum Niveum, sive de nivibus Exquilinis, opusculum complectens duas orationes ac totidem Idylia Latinum ac Italicum Innocentio X. inscriptum: Romae typis Francisci Monetae 1650. in 4.

Roma Virginea, sive de sacris nivibus, opusculum continens duas orationes ac duo idylia Latinum et Italicum inscriptum Cardinali Ginetto: Romae 1651.

Dies niveus, sive de sacris nivibus opusculum duas orationes, et Idylia totidem complectens Latino ac vulgari sermone inscriptum Cardinali Francisco Barberino: Romae ex typographia Francisci Caballi 1652. in 4

Rime: in Lucca per Francesco Marescandoli 1654. in 12. *Hae iterum prodiere Romae apud Fabium de Falco 1666. in 12. Christinae Svecorum Reginae dicatae.*

La lite Nazionale, Melodramma per l'Annunziazione della santissima Madre di Dio: in Lucca 1656.

Il giudizio delle Stagioni, Melodramma per l'Annunziazione della santissima Madre di Dio: in Lucca per France-

sco Marescandoli 1657 in 4. *et iterum* 1663.

Discorsi sacri: in Lucca per Giacinto Paci 1658. in 12. *atque iterum aucti*: Venezia per Niccolò Pezzana 1682.

La Giustizia placata. Melodramma per l'Annunziazione della Santissima Vergine Maria: in Lucca 1658.

Responsio apologetica pro sententia P. Hieronymi Florentini adversus objecta D. Vigilantii ab Arce: Pistorii typis Petri Antonii Fortunati 1662. in fol. *Disputationem defendit Florentini* de ministrando Baptismo humanis foetibus Abortivorum, *ac praesefert nomen angrammaticum Martini ab Holuberveso*.

Vita di Santa Cecilia Vergine e Martire con alcune annotazioni istoriche e morali, e con una canzone spirituale: in Lucca presso Giacinto Paci 1663. in 12.

Selectiores dicendi formulae ex triumviris Latinitatis Plauto, Terentio, Arbitro; quo simul et Linguae et morum puritati consulatur, collectae in gratiam juventutis Gymnasiorum S. Mariae Curtis Orlandingorum Patrum Congregationis Matris Dei: Lucae typis Hiacinti Pacii 1666. in 12.

Carminum Libri VII. Fabio Guinisio Ar-

chiepiscopo Ravennati dicati: Lucae apud Pacium 1674. in 12. *Extant etiam carmina Latina Beverinii in vol. II.* Carminum illustrium Poetarum Italorum.

Orazione nelle esequie del Cardinal Girolamo Bonvisi Vescovo di Lucca detta nella Cattedrale di S. Martino a 22. di Febbrajo 1677. in Lucca per Giacinto Paci 1677.

Eneide di Virgilio trasportata in ottava Rima: *prodiit primum Lucae per Pacium* 1680. *in* 12. *secundo Lucae et Bononiae per Josephum Longum* 1683. *in* 12., *tertio Romae per Corbellettum* 1692, *quarto Romae* 1700. *in* 4. *typis Bernabò in* 4. *ac demum Neapoli* 17

Nella Liberazione dell'Imperiale Città di Vienna dall'armi Turchesche, Ode; in Lucca per Giacinto Paci in 4. *Edita quoque aliis in locis fuit.*

All'Altezza Serenissima di Madama Vittoria della Rovere Gran Duchessa di Toscana nella sua venuta ai Bagni di Lucca insieme col Serenissimo suo figliuolo Sestine *sine loco impressionis et nomine Auctoris.*

Lectiones D. Anselmi Lucensis olim Antistitis ex ejus vita, aliisque illius aevi scriptoribus summa fide decerptae. *Jus-*

su Cardinalis Julii Spinulae Episcopi Lucensis has Lectiones exaravit Beverinius, easque Romana Rituum Congregatio approbavit.

Syntagma de ponderibus et mensuris, in quo veterum nummorum pretium, ac mensurarum quantitas demonstratur in gratiam studiosae juventutis a Bartholomaeo Beverinii etc. collectum, opus posthumum. Novissime accessit de Romanorum comitiis Tractatus ex nonnullis ejusdem Auctoris elucubrationibus excerptus: Lucae typis Peregrini Frediani 1711. in 8. *Jo. Georgius Walchius opus hoc iterum edidit Lipsiae 1714. impensis Jo. Ludovicii Gleditschii et Georgii Weidmanni, edidit quoque Neapoli 1719 typis Felicis Mosca Sebastianus Paulius cum Mantissa de nummis Byzantinis.*

Epistolae. Ex his una *extat in itinere Italico Mabillonii; extant etiam aliae inter Epistolas Francisci Redii et Petri Adriani Vandebroekii.*

Prediche (XLII), Discorsi e Lezioni del Padre Bartolomeo Beverini Sacerdote Lucchese della Congregazione de'Chierici Regolari della Madre di Dio, opere postume: Vienna per Gio. Eichario Hertz 1691. in 4. *Quae esuriali-*

bus feriis et in Adventu Domini ad populum haberi solent conciones, quanquam illas priores nunquam habuerit Beverinius laterum infirmitate impeditus, hoc volumine continentur. In his magna divinarum rerum scientia, eruditio, et Etruscae linguae cognitio comparent: sed omnes fere habent fucos, et multa etiam eloquentiae lumina, illas metaphoras, allegorias, quas aures illius aetatis flagitabant. Praeter conciones continet volumen Sermones et Lectiones Qui omnia haec ediderunt ejusdem collegae, ajunt supremam manum iis Auctorem minime imposuisse. Hi ipsi nos admonent Beverinii extare centum et viginti Latinas orationes ab adolescentibus nobilibus recitatas, cum Decemviri (alternis id mensibus accidebat) magistratum inirent; ipsum et collegisse sepulcrales inscriptiones familiarum Lucensium cum earum stematibus, et adnotasse multa, quae mirum in modum illustrant patrias antiquitates: ad id elogia contexuisse virorum illustrium quae ornare meditabatur illorum imaginibus. Mentionem quoque faciunt illius epistolarum, tum Italarum, tum Latinarum. Nam qui noverant Beverinii

animum officii studiique plenissimum, et in amicitia meditantem semper aliquid atque agentem, quo amicitiores, quos amabat ei esse deberent, saepe illum interpellabant litteris, vel ut carmina, judicia, et consilia ab illo requirerent, vel ut quaestiones de rebus eruditis illi proponerent. Sed nihil illustrius ineditis Beverinii scriptis laboriosissimo sane opere quod inscripsit.

Annalium ab origine Lucensis Urbis Libri XV., *quos exaravit, cum ipsa oratio illius canesceret, et suam quamdam maturitatem haberet.*

ANGELUS FABRONIUS

CHRISTOPHORO BOCCELLAE SUO

S. P. D.

Ut Luca discessi, nullum adhuc intermisi diem, quin aliquid ad te scriberem, non quo haberem magnopere quid scriberem, sed ut loquerer tecum, quo mihi nihil est jucundius. Una equidem tecum apricationem in isto tuo Saltochiano sole malim, quam alienas fortunas et dignitates, quas non nisi contentio, et dissensio, et labor, et periculum fere perpetuo comitantur. Num autem arbitrabimur ea nunc esse cupienda, quorum lubrica et anceps est administratio, et in quibus offensiones vel sine culpa accide-

re possunt? Equidem dies noctesque torqueor, cum cogito, quanta rerum commutatio facta sit, qui futurus sit Italiae status, et quem exitum habitura sint tot bella, quibus praeterita aetas nulla turbulentiora vidit. In spem quidem pacis venimus, quae si ejusmodi erit, ut non pactio sit servitutis, utque pia, et diuturna sit, oblatam lucem lactabimur, qua ex superiorum annorum caligine et tenebris emergere tandem possimus. Tum honos quoque reddetur litteris, quae jamdiu in squalore, et luctu jacent, nunc vero in tanta temporum procella, et lamentatione et gemitu prostratae propemodum ac perculsae conticent atque obmutescunt. Te quidem satis laudare non possum, quod in hac inopinata conversione rerum ac perturbatione in otium solitudinemque te contulisti, ea ut studia coleres, quae rusticantur nobiscum, quaeque rebus adversis perfugium ac solatium mirificum praebent; quodque his ego quoque pascor, his delector, his per-

fruor, apud vos commorans coepi inquirere quidquid esset quacunque ex arte, et quocunque de genere, in quo Lucenses vestri magnum aliquid tentasse et perfecisse videntur. Ex magna copia fuit nonnullos eligendi potestas, quorum vitas historiae monumentis consignarem. Unam atque alteram ad te eo consilio mitto, laudes ut magis studium ac voluntatem tibi, tuisque civibus, quibus plurimum me obstrictum esse confiteor, gratificandi, quam scribendi elegantiam. Vale.

Pisis Kal. Quint. MDCCC.

PETRUS TABARRANIUS.

Lombrici (hoc vico nomen in agro Lucensi posito) natus est Petrus Tabarranius postridie Kal. Maii añ. MDCCII. parentibus Petro et Catharina Bonucellia. Patri viro frugi et prudenti nulla alia cura erat, nisi proprium agrum colere, et liberos educare, quodque ei maxime charus erat Petru, propter multa ingenii bona, et indolem virtutis, hunc sic instituendum humanioribus litteris curavit in vicino oppido Camajori, ut idoneus esset ad graviores disciplinas in Pisano Lyceo addiscendas. Mathesis praeceptorem habuit Guidonem Grandium, cujus pervulgatum est nomen, philosophiae Pascha-

sium Janettum, medicinae Josephum Duccinium Lucensem, anatomes, quam scientiam maxime ad amare videbatur, Josephum Zambeccarium, qui non prius ab se adolescentem sui studiosissimum dimisit, quam tanto doctrina antecessit condiscipulos, facile ut intelligi posset pari modo superaturum omnes ceteris in facultatibus. Laborem spe famae sustentabat, neque credibile est quot, postquam Pisis doctrinae insignibus decoratus fuerat, cadavera secuerit, nosocomia Florentina, Romana et Bononiensia frequentans. Romam concedendi oblata ei occasio fuit ab Alamanno Salviato Cardinali, qui non ad suam modo utilitatem, sed et ad aulae suae decus pertinere existimavit, si in suis numerasset Tabarranium, eique valetudinem suam curandam commisisset. Multa enim et honorifica de eo praedicari audierat, dum Florentiae commorabatur, idemque cum esset in flore juventae, non tam medicinae et anatomi, quam probitati et industriae studebat. In urbe optimis disciplinis, doctissimisque viris abundanti, impigre consilia et praecepta prudentiorum explorare, itinera eorum co-

gnoscere, nulli rei parcere, ut quotidie magis magisque in studiis, quibus proposita est naturae, et mirae prorsus humani corporis fabricae investigatio, proficeret. Magnopere illi profuit amicitia Antonii Leprotti, qui nomen fortunas et honores a medicina obtinuit, quique consultor idem et socius laborum facile impetravit, ut abunde Petro omnia suppeditarentur a Praefectis Nosocomii S. Spiritus, quae ad sectiones anatomicas non modo in ipso nosocomio, verum etiam domi peragendas conducebant. Eodem tempora medicinam faciebat vehementer studens ut magis bonus (impositum enim illi onus fuit curandi pauperes nescio cujus urbanae regionis) quam ut doctus haberetur. Famam tamen haud mediocrem a doctrina collegit, neque erat dubium, quin si Romae consederet, illustriorum medicorum gloriam esset aequaturus. Mors Salviati Cardinalis, et gravissima aegritudo charissimi fratris Francisci, qui Lucae caussas agebat, eum impulerunt, ut in patriam rediret, quo ex loco, mortuo jam fratre, rebusque domesticis compositis, Bononiam, moxque Patavium concessit eo con-

silio, ut per summos viros, qui in his urbibus florebant, doctrinam medicam et anatomicam, quam jam adquisierat, augeret atque exornaret. Quot quantosque ex his peregrinationibus fructus tulerit, declarant *anatomicae observationes*, editae primum an. MDCCLII. summisque laudibus exceptae ab illis, qui in re anatomica principatum tenere videbantur. Omnibus hominibus inest cupiditas reprehendendi aliena facta et dicta, paucis ingenium ad recte judicandum, perpaucis acumen et patientia ad experiendum, et omnes veritatis notas investigandas, perpendendas, novisque experimentis comprobandas. His praeditus dotibus Tabarranius errores vel eorum, qui cum claritate, tum usu rerum anatomicarum praestabant, emendavit, nova detexit, dubia confirmavit, magnamque utilitatem praebuit, quod unice illi erat propositum, non solum anatomes, sed etiam salutaris artis et chirurgiae cultoribus. Atque ut nonnulla exempli caussa afferamus, non mediocris profecto laudis fuit plures cerebri sinus detexisse, atque ea protulisse de vena ophthalmica et ejus arcu, de jugulari

sinu cum inferiori petroso conjunctione, de sanguinis circa carotidem exeuntem effusione, de arteriae carotidis flexionibus, de musculo dorsi semispinato, de glandulis mucosis feminarum, de sinibus uteri, de hymene, de pilis, et sebaceis glandulis nympharum, de corpore luteo, de valvula Eustachii, aliisque hujusmodi rebus multis, quae non satis illustrata esse videbantur. His vulgatis, magna illico fama surrexit de Tabarranii in re anatomica doctrina, et de illo Academiae Pisanae addicendo frequenter loqui est coeptum, locum ut teneret Antonii Dominici Gotti, qui totos jam viginti annos, postquam diu medicinam docuerat, anatomen administrabat; sed haec res nullum exitum habuit sive ob pudorem illius, qui neque negavit, neque vehementius postulavit, sive quia Gottus ipse tantarum virium se esse putabat, posset ut diutius susceptum onus sustinere. Habita tamen ratio Tabarranii fuit, cum consulendum esset Gymnasio Senensi, in quo silebat anatomes schola, vel ab eo tempore, quo ab ipso Janus Plancus discesserat. Sarcivit ipse longi temporis, qua caruit,

usuram celebritate et magnitudine sectionum, nulla ut florentior alia esse videretur Ex iis potiora Academiae, quae Physiocriticorum dicitur, suppeditavit, quaeque ornant III. Actorum illius volumen de acetabulo femoris et ligamento terete, de teste, et tenui membrana, quae ab albuginea separari potest, de nervo quinti paris, utique septo proprio a sanguine receptaculi distincto, de ossibus triquetris, de valvula Eustachiana, et coronaria, de foramine ovali a sinistris, de androgyno, qui videtur verus, de apendice intestini, de spinis dorsi curvatis, magni putantur ab Hallerio (1), qui sibi gratulatur, quod secum sentiret Tabarranius de umbra quadam in Eustachianae valvule icone, de quo insimulatus fuerat ab Albino. Primum et

---

(1) Vid. vol. II. Bibliothecae Anatomicae p. 353. quo in loco mentionem etiam fecit epistolarum Tabarranii Lucae editarum, in quibus egit de lacrumis sanguineis, de hydrocele curanda et de cerebri ventriculis, de hymene, et musculis costalibus et intercostalibus, atque de laringe.

sextum corumdem Senensium Actorum volumen habent alia tum medica, tum anatomica Tabarranii, habet et tertia pars secundi voluminis commentariorum Bononiensis Academiae, in quam adscriptus erat, et haec spectant ad emendationem a se primum excogitatam thermometrorum, cujus approbator et laudator fuit Musschenbroekius, et ad fontem ab avulso nemore luculenter auctum. Non longe aberat nemus istud a Vieregio, cumque disputatum olim fuisset, num expediret illud excidere, binis epistolis Pisauri editis probavit Tabarranius anhelitus vicinarum paludium perniciosiores fore, si ab oppositis arboribus minime interciperentur. Solitus quae sentiebat libera oratione defendere, minime effugit nonnullorum reprehensiones usque eo ut non defuerint, qui multa praesentes in praesentem acerbe et dixerint et fecerint. Is vero animi quodam impetu concitatus, et vi naturae et ingenii elatus non dubitavit pro sui defensione ea litteris mandare, quae produnt quidem hominem magna doctrina praeditum, sed duriorem oratione et moribus, quae vitia minime

aetas mitigavit. Ceterum multis is erat virtutibus instructus atque ornatus, et id curabat in primis, ut quemcunque casum fortuna tulisset, hunc apte et quiete ferret. et incommoda quae sunt in vita, commodorum compensatione leniret. Quo remedio uti praesertim debuit, cum coepit caecitate laborare, cujus curandae gratia motus scriptis aliptae cujusdam Lugdunum usque concessit. Sed ipsa curatio graviorem fecit morbum, quare desperans de recuperando oculorum lumine, vacationem a schola facile impetravit, gratulans sibi, quod Paullum Mascanium sic instituisset, ut non solum sperare, sed etiam confidere posset gloriam, quam illi comparavit, ab eo plurimum auctum iri. Domum cum rediisset, paruit voluntati fratris, qui testamento illi nuptias praescripserat: duxit autem in matrimonium Mariam Annam Bertagniam Camajorensem puellam multis animi dotibus, multisque litteris ac praesertim Latinis ornatam, cum qua conjunctissime biennium fere vixit, durus licet nimis et suspiciosus in suos esse videretur. Hac vitae socia, minime sivit ingenium, quo neque me-

lius, neque amplius aliud in natura mortalium est, incultu atque socordia torpescere: nam cum ea anagnoste uteretur, eas ipsas artes coluit, quibus ab adolescentia deditus fuerat, quibusque plurimum levari corporis molestias sentiebat. Amicus magis, quam maritus, ad omne officii munus persolvendum promptus, recti pervicax, religionis cultor eximius, constans adversus metus, nihil magis concupivit, quam vitae cursum sic conficere, ut desiderium sui relinqueret. Erant, quibus appetentior famae videbatur, quando etiam sapientibus, ut ait Tacitus, cupido gloriae novissima exuitur. Senis, quo redierat, copiam ut sui faceret discipulis, quos si non manu, lingua saltem erudiebat, mortem obivit non. Aprilis MDCCLXXIX. nullisque susceptis liberis uxorem, quam delicias et amores suos merito vocabat [illegible] asse heredem reliquit.

OPERE EDITE.

Lettere contro l'estirpazione della macchia di Viareggio stampate in Pesaro del 1741.

Osservazioni Anatomiche. *Extant in volumine I.* delle memorie di Valentuomini. Lucca 1742. *Impressae iterum fuerunt anno* 1753

Dissertationes duae, *quae extant in volumine IV.* Institutorum Academiae Bononiensis 1747.

Lettere tre stampate in Lucca del 1764. del Flusso cruento, dell' operazione dell' idrocele, de' ventricoli del cervello, dell' imene, de' muscoli costali, e intercostali, e della laringe.

Storia d'un Vajuolo naturale: *Extat in vol. I.* Act. Acad. Scient. Senensis.

Lettere tre Medico-Anatomiche: *Extant in volum. III.* Acad. Scient. Senens.

Memoria, o sia descrizione di due mostri: *Extat in volum. VI.* ejusdem Academ.

AEGIDIUS FORCELLINIUS.

AEgidius Forcellinius honesto genere natus Phaeneri, qui est vicus Patavinae Dioecesis prope Alpes Noricas non longe ab urbe Feltriensi, VII. Kal. Septembr. an. MDCLXXXVIII. fuit magna vi et ingenii et corporis. Rei familiaris angustiae illud mature colere prohibuerunt; nam e pueritia excesserat, cum coepit in Seminario Patavino Latinis litteris vacare. Sed quo serius, eo impensius illas arripuit, nec Graecis Italisque carere voluit, duce praesertim Jacobo Facciolato, cujus in amicitiam prorsus se insinuavit. Magnum et arduum opus hic susceperat emendandi augendique Ambrosii Calepini Latinum Lexicum, ad quod

perficiendum summo sibi usui fore statim intellexit Forcellinii operam. Quanquam nec gloriam, nec honorem sibi ex hoc labore exoptaret, in eo tamen totum quadriennium sic insumpsit, ut innumera fere seposuerit, quae mirum in modum conducere poterant ad librum expurgandum, augendum, perpoliendum. Sed tot ac tanta occurrebant corrigenda, mutanda atque addenda, satius ut duxerit de integro illum recudere, quod exeunte an. MDCCXVIII. non hortante modo, sed et jubente Georgio Card. Cornelio Episcopo Patavino aggressus est. Nunquam non aderat consiliis suis Facciolatus, sed vix, ac ne vix quidem egebat alienis auxiliis vir supra quam credibile est navus, acutus, prudens et exquisitissimi judicii in optimis eligendis exemplis. Illi in dies magis animus augebatur, cum considerabat quot et quanta peccassent atque omisissent non Calepinus modo, sed et ceteri illustriores Lexicorum conditores, a quo incepto studioque retraxit illum voluntas Cenetae Episcopi, cui nihil se posse negare ajebat, qui ipsi demandavit praefecturam totius Seminarii cum one-

re docendi alumnos rhetoricam. His intentus muneribus, eam bonam famam, maximamque gloriam existimans quod susceperis abunde explere, minime tempus reperiebat persequendo operi multi laboris, multarumque vigiliarum, quod aegre ferens Cornelius Episcopus, satis liberali proposito stipendio, eumdem ad Patavinum Seminarium an. MDCCXXXI. septennio post, quam ab illo discesserat revocavit. Adepta libertate, incredibile memoratu est, quantum creverit opus, quod iterum frigere visum est ob impositum illi undecim post annos gravissimum onus audiendi clericorum confessiones. Sapienter sane egit Rezzonicus Cardinalis qui Cornelio successit in gubernanda Patavina Dioecesi, quod illo prorsus liberaverit Forcellinium, bonum ut otium contereret in absolvendo, quod inchoaverat, ex quo ipse non modo, sed et Seminarium Patavinum gloriam, et Latinarum litterarum cultores maximas utilitates erant percepturi. Res ex voto plane successit, ac tandem an. MDCCLXXI typis ejusdem Seminarii impressum fuit *Lexicon totius Latinitatis* omni exemplorum copia in-

structum tum ad singula declaranda vocabula sive propria, sive translata, tum ad varias illorum significationes exponendas, quae laus tantae fuit rationis et scientiae, ut obtineri nisi ab eo potuerit, qui diu ac multum in omnium Latinorum scriptorum lectione versatus non fuerit, qui ad eorum sensus eas tenens artes omnes, de quibus scripserunt, prorsus non penetraverit, qui omne iter antiquitatis non noverit, quod ritus, consuetudines, leges, fabulae, regiones et historica multa fuerunt exponenda, quique ad critices studium non fuerit ab natura et arte factus ad implicata et dissidentia enodanda atque concilianda, omniaque breviter summatimque illustranda. Neque contempsit numismata et inscriptiones, in quibus multa occurrunt, quae frustra in Scriptoribus quaesieris. In extremo autem opere ea seposuit, quae barbare dicta putantur, quod eorum nullum inveniatur exemplum apud probatissimos auctores. Porro Itali, quibus praesertim commissa est Latini sermonis conservatio, plurimum gloriari debent, quod unus e suis tantarum litterarum, tantaeque in-

dustriae extiterit, ut longo intervallo omnes post se reliquerit, qui in hujusmodi Latinitatis thesauris condendis elaborarunt; quod utinam in bonum cedat Latinarum litterarum. Nam in ea devenimus tempora, sane infelicissima, quibus omne id contemnitur, quod antiquitatem olet, usque eo ut insaniae illi damnentur, qui Latinorum elegantiam imitari se posse sperant. Patiamur, si lubet, hos magistros omnis novitatis studiosissimos, pullos suos excludere in nido, qui evolent clamatores odiosi et molesti, pueriles delicias vocitantes: exercitationes, quas impendimus ad Latini sermonis elegantiam nobis comparandam, et ab iis nos illudi ac derideri sinamus. Quid enim afferre queunt, quamobrem Latina lingua sit repudianda, quod refellere ex illis locis non possimus, quos exposuit Cajetanus Cognolatus in eruditissima praefatione, qua commendavit Forcellinii Lexicon? Adde quod lingua nostra, quamvis ornetur quasi colore quodam et succo suo, patitur tamen veterem illam excellentemque prudentiam Latinorum ad nostrum usum moremque transferri; sed hominibus opus est eru-

ditis et prudentibus, qui probe calleant vim sermonis, quo illi usi sunt, artem norint, per quam nominis immortalitatem sibi compararunt, quique intelligant quae sint ornamenta propria matris, quibus ornari ditarique filiam minime dedeceat. Sed redeat ad Forcellinium, unde digressa est, oratio. Haud mediocria sane fuerunt, quae contulit ad Graecum Lexicum et ad Italam orthographiam augendam atque adornandam, ex quibus Facciolatus suus non parum laudis retulit. Nam haec studia perpetuo coluit, sine cura ulla gloriae suae, et sine obtrectatione alienae, solitus laudatoribus suis, quos multos et clarissimos habuit, respondere se nihil aliud tenere, nisi verborum scientiam. Ad hanc doctrinae magnam vim accessisse, ex eo conjici potest, quod Antonius Valsecchius, Jo. Baptista Morgagnius*, Julius Pontedera, et Joannes Polenius (qui quantique viri!) non solum eum magno in honore habuerunt, verum etiam de gravissimis rebus ad antiquitatem praesertim spectantibus consuluerunt. Ea erat inter hos viros societas, ut alter ab altero saepe et communicando et monendo

adjuvaretur: omnes enim quanquam diversas artes colerent, in veterum scriptis illustrandis operam ponebant. Studiosus Aegydius novi semper aliquid addiscendi in lucro ponebat omnia minima temporis momenta, quae ei supererant a religiosis officiis, quorum erat observantissimus, et ab impositis sibi muneribus obeundis; somni autem et cibi parcissimus, solitudinis amans adeo, ut per quam raro domo exiret, et temporibus sapienter utens, illud assequebatur, ut nihil haberet carius quam secum esse, secumque ut dicitur, vivere. Quae vitae gravitas non erat sine summa facilitate atque comitate; nam vel pueros, in quibus erat indoles virtutis, ad se invitare, et donis etiam allicere ad audienda saluberrima praecepta solebat. Si quid vero ab eo petiisses, quod esset in sua facultate, tanta cura praestabat, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere. Idem modestus, continens, clemens, patiensque admirandum in modum, eumdemque semper vultum, eamdemque frontem in ipso vidisses, vel dum molesti interpellatores ad ipsum accedebant. Quae levia et contemnenda

duxeris, prodebant singularem hominis ad societatem communitatemque generis humani facti bonitatem, quae in ejus ore, atque in omnibus ejus dictis et factis lucide apparebat. Recens a prandio fabrilia tractabat, vel pulsabat musicum instrumentum, nil enim minus volebat quam esse otiosus in otio, quo nihil magis virtuti officere affirmabat. Tum avocari a litteris veteribus amoribus suis non solum facile patiebatur, sed etiam gaudebat, cum laudator eximius virtutis fovendae in juvenibus praesertim erga Deum pietati vacabat. Hunc morem maxime tenuit, cum aetatem excusans veniam obtinuisset redeundi in patriam, ubi triennio post vitam non christiane modo, sed et sancte cum morte commutavit prid. id. Aprilis an. MDCCLXXVIII. Laudatus publice fuit ab Antonio Corà; qui testis fuerat illius virtutum toto illo tempore, quo inter alumnos Seminarii Patavini cooptatus fuit.

OPERA EDITA.

Forcellini Aegidii, Totius Latinitatis Lexicon praeclarissimum, pluri morum annorum opera et studio ab ipso accuratissime elucubratum, consilio et cura Celeb. Jacobi Facciolati. fol. tom. 4. Typis Semin. Patavini 1771.

ANGELUS FABRONIUS

NICOLAO MARIAE CIANIO

THEOLOGIAE IN PISANO LYCEO PRAECEPTORI

S. D.

Saepius me jam reprehendis, quod interpretationem poeticam Davidicorum Psalmorum a Xaverio Matthaejo elaboratam nimis in caelum videar efferre. Ego autem quanquam sane pro sensu meo probo factum, tamen ut tantum opus laudem adductus sum litteris multorum, ac praesertim Metastasii, qui nihil hujusmodi unquam tentatum, et felicius perfectum affirmant. Nomina si lubet innumerabiles, qui vel Latino, vel nostra-

te sermone Psalmos illos poetice converterunt, non facile quidem invenies qui Davidis mentem magis assecutus sit, quique illo majora in medium protulerit ad omne id noscendum, quod pertinet ad illam declarandam. Est quidem ista cognitio magna et difficilis, tamen utilitatis magnitudo impulit hominem vel in prima adolescentia ad suscipiendum interpretandi lalaborem, quo cum animos hominum auresque pepulisset, ut intelligerent sensus Poetae, excitaret etiam sententiarum ornamentis ad admirandam poesim, et virtutem suspiciendam, atque imitandam. Et re quidem vera quamvis omnes divini libri, ut ait Apostolus, utilissimi sint ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, *videtur tamen Deus id ipsum praesertim sibi proposuisse in scriptione Psalmorum, quare vere dictum ab Augustino:* Psalmorum liber quaecumque utilia sunt ex omnibus continet. *Habes in iis veteres historias vel a mundi exordio,*

leges a Deo hominibus praescriptas, exempla sanctorum Patriarcharum promissa, adventus Domini, vocationis Gentium, condendae firmandaeque Ecclesiae, et ut paucis dicam, nihil est quod intersit scire, petere a Deo, diu noctuque meditari, quod non invenias in illo salubrioris pietatis thesauro. Hos legens, si doles, maerorem solaberis, si dubitationem aliquam habebis, lucebit tibi veritatis lumen, si aegritudine, si taedio, si metu, si exanimatione afficiëris, facile levamentum et medicinam ab ipsis obtinebis; nihil enim est in vita prosperi, quo illi sapienter uti, nihil adversi, quod patienter ferre non doceant. Nec tantum praeceptis ad omnes aetates, omnes vitae status omnesque conditiones recte gubernandas ornari eosdem voluit Deus, sed etiam eloquentiae et poeseos luminibus, quo facilius homines ad illos legendos, ac memoria retinendos allicerentur. Et sane nullum fuit unquam tempus, quo Christi Fideles hoc saluberrimo suavissimo-

que animorum pastu non uterentur, sive domi quiescerent, sive itinera facerent, et in laboribus exercerentur, sive templa adirent, sive familiariter convenirent, mensas extruerent, atque rusticarentur; et vel ipsae foeminae, quibus in Ecclesia loqui Apostolus interdixit, jungere earum voces ad hominum cantus poterant, dum psallebant Davidica cantica, quae S. Ambrosius merito appellavit Sermonem universorum, Dei laudem, plebis laudationem, vocem Ecclesiae, fidei canoram confessionem. *Quantae curae fuerit Matthejo, ne quid sua interpretatione detraheret praestantiae tanti operis, saepe ipse declaravit, et ejus diligentiam varietatemque doctrinae profecto laudabis; miraberis etiam, quod primum interpretationis volumen exaraverit edideritque, dum in patria commorabatur, destitutus subsidio librorum et hominum, quos consuleret; laetatus tamen est industria sua, et alacrior ad reliquum persolvendum factus est. Sed*

ne nimium longa sumatur oratio, tecum praesertim loquens, qui omni divina doctrina abundas, ad propositum vitae declarandae hominis, cui sane plurimum Italica poesis debet, veniam. Vale.

Pisis Kal. Maii MDCCCI.

XAVERIUS MATTHEJUS.

Ignota prorsus omnibus ac late diffusa in convertendis Italicam in poesim Davidicis Psalmis, et verborum numerorumque jucunditate condiendis se prolaturum spopondit Xaverius Matthejus, in quo sic fidem liberavit, famam ut eam in flore aetatis collegerit, quam perpauci multo sudore, atque plurimorum annorum labore vix consequi potuere. Atque ad id obtinendum necesse illi fuit cum poesi, ad quam natura erat factus, philosophiam, theologiam, artem criticam, philologiam, magnamque notitiam Hebraicae, Graecae, Latinae atque Italicae linguarum conjungere, quibus subsidiis vel

locos obscurissimos diligenter felicissimeque tractavit atque expressit, et doctrina vel minus instructos ad Davidicam poesim suspiciendam, memoriae mandandam atque canendam excitavit. Atque hic tantus vir, quo sane plurimum Italia gloriatur, natus est xiv. Kal. Novembris an. mdccxlii. illo in Calabriae ulterioris oppido, cui nomen Monspavonis, cum non hujus modo, sed et aliorum oppidorum, quae illa in provincia possidebant Carthusiani monaci, rector esset illius pater Gregorius. Cum hoc matrimonio juncta erat Magdalena Stella spectatissima femina et divitiis affluens; talis vero erat vir Gregorius ipse, ut non minus in illo laudasses virtutes animi, quam doctrinam (1). E ludo paterno atque pueritiae disciplina Seminarium in Neapolitanum venit, in quo praeceptores habuit Ignatium Calcem, Salvatorem Aulam, Nicolaum Ignarram, alios-

(1) Hunc divinis quibusdam bonis instructum atque ornatum sane putabis, cum leges ea, quae Xaverius retulit de illo in volumen viii. interpretationis Psalmorum editionis Patavinae p. 184.

que summos viras humanioribus praesertim litteris et linguarum peritia claros. Plurimum etiam frequentavit Jacobum Martorellium, quem magistrum se obtinuisse gloriatur (1). Nullum vero fuit studiorum genus, in quo evolare magis, quam excurrere minime videretur. Excoluit autem praesertim humaniores litteras Latina cum Graecis conjungens, in quibus quantum profecerit, satis declarant binae *Exercitationes*, quas per *Saturam* appellavit, non solum quia de hac voce, ut et de voce Tytiri pluribus egit, sed etiam quia ob varietatem rerum lanci variis frugibus refertae assimilari eas posse putavit. Secunda quidem exercitatio multa haud obvia continet de ficu ruminali, de palatio, de Alba, de ara maxima, de visceratione, ea complectens omnia, quae de his rebus docti homines disseruere, quorum sententias perpendit, et interdum confutat. Ex his ipsis exercitationibus intelligi potuit Hebraicarum litterarum summe studiosum il-

(1) Vid. Dissert. in vers. VI. et VII. Psalmi XC.

lum fuisse, quarum subsidiis nonnullarum vocum, et vel Tytiri et Satyri etymon declarat, ac quosdam divinorum librorum locos explicat. Multa et lauta supellex eruditionis non tam abundantis, quam luxuriosi scriptoris in hoc opere apparet. Nam hoc vitium est juvenibus (decimum octavum nondum compleverat aetatis annum, quod sane miraberis, quando illud vulgavit) ut non videant quid sit satis, quidque stilo sit depascendum. Abreptus gloriae cupiditate non tam laudes quaesivit ab Italis suis, quam ab alienigenis, quasque obtinuit ab eo docto viro, qui erat Parisiensi Academiae Inscriptionum, et humaniorum litterarum, uti vocabant, ab epistolis, homine sane harum rerum intelligenti aestimatore, maximi fecisse videtur (1). Eodem tempore opus susceperat de Brutiis, ad quos redierat, confecto studiorum curriculo, quod quantae magnitudinis, amplitudinisque esset

(1) Hujus litteras retulit in vol. VIII. pag. 105. interpretationis Psalmorum editionis Patavinae.

ex Dissertatione de Tytiris, quae locum in eo habere debebat, facile conici poterit. Omne enim iter antiquitatis sacrae et profanae investigare sibi proposuerat; in quo studio cum dies noctesque occuparetur, vix ut somno et quietibus ceteris necessarium tempus concederet, ecce Neapolim vocatur ad publice tradendas Graecas litteras, et Orientales linguas. Ex Consentinorum laude ostendere voluit, qualis suus animus esset, ut cumulate satisfaceret imposito sibi muneri, et postquam illustriores nominasset, se daturum operam spopondit, ut Auli Jani Parrhasii, qui varietate doctrinae, ingenii acumine, et memoriae vi magni Leonis X. aetate in primis floruit, opera, quae publica luce digna judicasset, e latebris eruerentur, atque typis committerentur. Aliqua ex parte promissum solvit, quaeque edidit, brevibus commentariis et Auctoris vita illustravit. Exempla ex his sumebat ad excitandam discipulorum industriam, quaeque illis dabat praecepta, copia rerum erant ornata, facile ut omnes judicarent se communi intelligentia contentum esse non posse. Quanquam honestissi-

mum esset munus, illo tamen non multo post exsolvi postulavit, ut quaestuosiori, hoc est caussarum patroni, operam daret; sed tum minime voti compos factus est, duplicatumque illi stipendium fuit cum mandato ea scribendi melodramata, quae in regio theatro ob faustos felicesque eventus canebantur, quorumque jam specimen dederat, oblato ipsi Aulae, vulgatoque an. MDCCLXXVII. dramate, cui ab Eubone celebri veterum Neapolitanorum numine fecit nomen. Addita et alia onera fuerunt ad litteras pertinentia, quibus tandem liberatus fuit, ut exercitationibus forensibus, et absolutioni operis, quod plures abhinc annos inchoaverat, interpretationis poeticae Psalmorum prorsus vacaret. Illis se et familiam sustentabat (nam quamvis patruos haberet divitiis abundantes, ipse tamen auctus liberis, quos susceperat ex Julia Capecia Piscicellia se egere ajebat); altera vero gloriam immortalitatemque sibi praeparabat. Necésse illi fuit multarum rerum rationem reddere, ut occurreret reprehensionibus eorum, qui in ejus opinionibus plus ingenii, quam veritatis, et in interpretationibus plus leporis,

quam dignitatis et virium inesse affirmabant. In operis ingressu accurate exquisiteque disputat de Pindarica et Homerica poesi, hancque cum Davidica omnibus sane anteferenda comparat, in qua cunctas virtutes reperiri ait, nihil ut sit tam grande, nihil tam tenerum, quod ad vivum tum verbis, tum imaginibus non exprimatur. Pluribus hoc ipso in loco disserit de optimo genere interpretandi tum Psalmos, tum Graecos poetas, eos despiciens omnes, qui omnis ornamenti expertes, uti Salvinius noster, quem acriter reprehendit, non amplius afferunt, quam quod verborum sine delectu interpretatio postulat, nec non eos, qui eodem modo semper, nec varie (et sunt quidem multa in psalmis, quae metri varietatem desiderant; nam varia adeo est illorum forma, ut non pauca in iis occurrant, quae assimilare possis Pindaro, quaedam Horatio, quaedam autem Anacreonti) sua contexunt carmina, nec satis exprimunt exemplarium vim, formam, et illa sententiarum lumina, quae vocant Graeci schemata, quibus, tamquam insignibus, in ornatu distinguitur oratio. Et sane quis Davide fe-

licior fuit, cum excitare animos voluit vel ad Dei bonitatem, atque potentiam laudandam atque admirandam, vel ad iracundiam flectendam, vel ad virtutem amplectendam, vel ad metum sedandum, vel ad exultantem laetitiam comprimendam, vel ad aegritudinem eripiendam? Quem non commovent illa suspiria, illae preces, querelae, incitationes, miserationesque flebiles! In his reddendis, tum jucunditatis caussa, tum ut varietas occurreret satietati, modo brevioribus, modo longioribus, quemadmodum melodramatum scriptores solent, quorum in numero Davidem ipsum ponendum esse probat, utitur carminibus, in quibus nihil inane apparet, nihil inconditum, nihil curtum, nihil claudicans, nihil redundans; quanquam necesse illi fuit ad sensus Poetae declarandos, qui non satis perspicui, nec bene inter se juncti esse videntur, dilatare orationem, et Hebraicam poesim, quae granditatis fortasse caussa disjunctiones illas ferebat, ad Italicae naturam proprietatemque accommodare. Quod si est optimum suaviter dicere, et carmina omni dulcedine et venustate affluentia condere, in

quo unus excellere Metastasius judicabatur, nihil sane est, quod melius hac interpretatione quaeratur, quam cum leges, facile judicabis nullum extitisse, qui in hoc genere scientius versatus sit Matthaeio, qui nihil dicit, cujus certam, vel saltem probabilem rationem non reddat. Eo spectant tum commentaria, tum dissertationes, quibus totum opus ornavit, illustravitque. Postquam de poesi Hebraeorum et Graecorum, multis allatis exemplis, copiose disseruit, omnia illa persequens, quae temporum habita ratione, pertinent ad illorum mores, ritus, linguas, studia, ac praesertim physicae, astronomiae, mathesis, architecturae civilis et militaris, atque musicae, quaeque noscere oportet eos, qui in iis assequendis atque interpretandis adlaborant, ne, quod plerisque accidit, damnent, quod non intelligunt, inquirit, qui fuerint Psalmorum auctores: nam certissimis argumentis scimus non omnes a Davide fuisse exaratos. Rediit postea ad musicam Hebraeorum, cum de eorum Psalmodia disserendum suscepisset, allatam a se antea sententiam, novam quidem, quam multi oppugnarunt, confirmans, Hebraeos modis im-

plevisse harmonicis, quos canebant, psalmos, quos modos ab iis, quos summi artifices nostrates in theatra invexere, non multum discrepare contendit. Qui de incognitis rebus judicare volunt, ut libet, conjecturis utantur; vix tamen assentior Martinio musicae artis licet doctissimo, qui unam, nec modis distinctam fuisse canticorum modulationem affirmat. Natura ipsa carminum, multitudo pene incredibilis tum psallentium tum canentium (quatuor usque millia operam Tabernaculo et Templo navasse legimus) vocum varietas, pueris et vel feminis adhibitis ad acutam reddendam, suadere videntur melodiae plenam fuisse Hebraeorum musicam; sed quae fuerit, satis ne a Matthaeio conclusum judicabimus? Certiora sunt ea, quae affert de Kalendario, diebus festis, ritibus in iis celebrandis, ac jejuniis, nec non de ponderibus, mensuris, et nummis Hebreorum, quae licet jamdiu a multis, ac praesertim a Calmetio tractata fuerint, haud pauca tamen nova in medium attulit divinorum in primis librorum testimoniis comprobata. Porro quidquid dicit vel ad sua confirmanda, vel ad aliena refellenda, videtur esse quantivis pre-

tii; declaravit autem quibus ex fontibus suas animadversiones, suamque interpretationem sumpserit, satis copiose disserens de iis interpretationibus, quas Ecclesia probavit, vel usa illis est, de quarum utilitate omnes consentire videntur. Ne latum quidem unguem ipse a *vulgata*, uti loquimur, discessit, in eo quod spectat ad dogma et disciplinam; ceteris autem in rebus sibi late vagari licuisse confirmat, ut quae erant non satis bene explicata, vel dubia, vel male interpretata aperiret. Tantum aberat, ut putaret sibi nihil relictum fuisse, ut omnino probabiliora esse censeret, quae lacessitus praesertim dicebat, quam quae priores. Dum multi in eo studio elaborabant, ut Jobi librum Italicis carminibus redderent, et commentariis illustrarent, Dissertationem Matthaeius in vulgus emisit, cujus est inscriptio „ *Giobbe Giurisconsulto, o sia saggio di un nuovo sistema per interpetrare il libro di Giobbe* . Hunc librum tantam magnificentiam et granditatem verborum et imaginum habere affirmat, ut ejus auctorem plane poetam cum nemine aut paucis comparandum dicere audeat; cavendum tamen ait, ne

omnia uni tribuamus, conjungamusque quae soluta oratione cum iis quae numeris adstricta sunt, quaeque Job verae tragediae, dramatisque auctori, ac poetae summo, cetera autem ad illius historiam pertinentia posterioribus scriptoribus sunt tribuenda. Sic aperuit, quod praecipiendum esse videtur illius interpretibus, quorum neminem extitisse judicat, qui contentus apta, et numerosa oratione nihil relaxarit a numeris, ut historica a tragicis distingueret, ac tragoediam efficeret. Quod se praestiturum spopondit, quia illi propositum erat omnes poeticos divinos libros eodem modo interpretari atque illustrare, quem tenuerat in Psalmis. (1) Iis commemorandis, qui in his studiis versati sunt, illud assecutus est, ut intelligatur quam pau-

---

(1) *Nell' ozio della casa*, inquit illa, *mi sembravano facili queste promesse: oggi le occupazioni del foro, non so come mi abbian fatto reggere, a terminar quest' opera, che dubitava ancora di lasciare incompita. Resteranno dunque Platearum et tinearum epulae, tante osservazioni e nuove scoverte da me fatte su gli altri libri? Così Dio ha disposto, che forse non vuol altro da me.*

ci fuerint laude digni. Tantam quidem ipse collegit ab iis, qui de his rebus judicare poterant, ut nullum unquam opus fuerit illustrius, atque celebratius. Hoc erit indicio, quod brevi annorum spatio octies usque impressum est, et praestantiores phonasci in aptandis modis musicis tenerioribus, et grandioribus ad Psalmos inter se certarunt, quod sane minime praestitissent, nisi fuisset poesis Metastasianae similis, hoc est mollis, tenera et ita flexibilis, ut sequatur quocumque torqueas. Ad id mirantur omnes Auctoris doctrinam ex variis et reconditis disciplinis haustam, judicium, acumen in explicandis locis obscurissimis, argumentis exponendis, secernendis iis, quae aliena manu irrepsisse in Davidica carmina videntur, indicandisque quae drammatum more exarata fuerunt. Nam utramque poesim, nisi unicam quod verosimilius est dicere velimus, lyricam scilicet, et dramaticam in iis eminere contendit. Atque hac de re dissertationem vulgavit sane doctam et laboriosam, (1) qua plu-

(1) De ea hoc judicium protulit Metastasius. S' io intraprendessi di esaltare nella vostra Dis sertazione tut-

ribus disputat de Graecorum theatro Tragicisque scriptoribus, ad quos bene interpretandos minime sufficere ait Graecae linguae notitiam, nisi intelligatur quae saltari, quae cani, quae recitari carmina consuevissent, quotque artificiis ornarentur spectacula. In maximam spem adductus posse eorum tragoedias nostris accommodari theatris Euripidis scenam in Italicos versus elegan-

ti i passi, che ne son degni, questa lettera non uguaglierebbe, anzi ne vincerebbe la mole. La solida dimostrazione, con la quale rilevate le insuperabili difficoltà di ben intendere le Poetiche d' Aristotele e di Orazio per potersene valere nella pratica, l'arte con cui mettete in vista il ridicolo di voler ridurre l' unità di luogo alle angustie d' una camera, d'un gabinetto, il torrente de' passi de' Drammatici Greci, co' quali giustificate le nostre ariette, duetti, terzetti e paragoni, la felice, quanto difficile versione della bella scena d' Euripide nell' Ecuba, la generosa modestia del giudizio delle vostre cantate, considerate al paragon delle mie; l' analisi magistrale della prima scena dell' Artaserse e di quelle di Sesto e di Tito, ed ogni altra delle savie vostre considerazioni filosofiche esigerebbe un prolisso e distinto Capitolo.

ter adeo vertit, nullius ut pretii existimes, qui in iis studiis elaborarunt. Sapienter quoque judicat de Gallicis tragoediarum scriptoribus, deque nostratibus, concluditque unum extitisse Metastasium, qui sua melodramata, quibus nihil melius fieri potuit, sic composuit, ut magna ex parte assimilari Graecis Tragoediis possint. Porro nil dicit ipse

Quod non proposito conducat, et haereat apte (1).

sic autem dicit, ut copia sententiarum, quae varie, apte, dissimulanterque concluduntur, quasi ex ipsa re naturaliter fluant, collocatione verborum, versuum harmonia, metrorum delectu ita libere fluentium, ut nusquam adhaerescas dictionis perspicuitate, elegantia, gravitate facilitateque, ut nescias num verba sententiis, vel sententiae verbis inserviant, nemo par illi esse possit. Prorsus affirmare minime dubitabis illum fuisse summum poetam, sapientissimumque phi-

(1) Horat. Poet. v. 195.

losophum non facile imitandum, quod tamen unus Matthaejus assecutus esse videtur. Quanquam hic nihil praeceperit, nihilque scripserit, quod philosophiae luminibus non illustretur, separatim tamen egit de musices philosophia, cujus artis se peritissimum ostendit, seu vitia notaverit, quibus foedata est, dum ea personant theatra et templa, sive remedia proposuerit. Dolet vero eam esse temporum conditionem, ut nequeat sperari philosophiae musicam suum obtenturam locum, nisi in sacris poematibus; nam quod ad theatra spectat, distant adeo ab iis,

Quo sane populus numerabilis, ut pote parens,
Et frugi, castusque, verecundus que coibat (1)

ut musices corruptio aequet morum corruptionem. Nimis longus essem, si vel capitulatim persequi vellem, quae sparsa sunt

(1) Horat.

in Dissertationibus (viginti usque quinque numerantur) quibus Matthaejus suam Psalmorum interpretationem auxit, ornavitque. Hoc addas unum mirum prorsus videri, tantum opus suscipi et perfici potuisse ab homine, qui nondum expleverat vigesimum quintum aetatis annum, qui a cura familiae distinebatur, quique ad hanc sustentandam quaestuosum caussarum patroni munus magna cum sui laude sustinebat. Studio autem neminem, nec industria majore cognovi, quanquam ne ingenio quidem, qui illi praestiterit, facile dixerim: adeo memoria valebat, ut multas decades Homericorum versuum, et totam vel Euripidis, vel Sophoclis tragoediam recitaret; nullum vero tempus illi unquam vacabat aut a forensi scriptione, et dictione aut a commentatione domestica, aut a scribendo, aut a cogitando. Extat index Dissertationum, (1) quas vel inchoaverat, vel magna ex parte confecerat in varios Biblicos libros, non ut dicta ab aliis repete-

(1) Vid. vol. VII. pag. 117 editionis Patavinae.

ret, sed ut incognita et nova prorsus aperiret. Quia vero, ut de Homero praedicavit Horatius, nil moliebatur inepte, nullum extitit poesis genus, lyricum praesertim, dramaticum, Anacreonticum, et vel ludicrum, quod non feliciter excoluerit. Vulgavit an. 1774. bina volumina carminum (1), quae non sacra appellavit, et ex ipso scimus multa flammis damnasse, quae juveniliter luserat. Magna pars voluminis primi constat ex iis, quae de Callimachi elegia a Catullo in latinum, a se autem in Italicum conversa, cujus est argumentum Berenicis coma, copiose disseruit. Laudem obtinuit non modo elegantissimi interpretis, sed etiam acutissimi critici, diligenter examinans omnium interpretationum, et emendationum pondera. Minime contentus se explevisse partes divinatoris in locis difficillimis Elegiae explicandis, egit et astronomi, docens qui fuerit Zodiaci status Homericis temporibus, et qui sit lo-

(1) Saggio di Poesie Latine ed Italiane colla traduzione della famosa elegia sopra la chioma di Berenice con osservazioni critiche ed astronomiche. Napoli 1774.

cus in caelo Berenicis comae, in quo assignando Ptolomaeus aliique erraverant. Secundum volumen novum continet, sicuti illud Auctor appellat, sistema interpretandi Tragicos Graecos, cujus ipse exempla affert, distinguens quae vel ab uno vel duobus, vel tribus canerentur, quae musices, quaeque saltationis partes essent in choris, quae, aliaque hujusmodi, si bene noscerentur, minime affirmare dubitat, quin Graecae tragoediae nostris aptari theatris, paucis exceptis possent. Praecepta quoque dat de scribenda comoedia, suo more ènumerans, quae in hoc quoque genere virtutes essent Graecorum et Latinorum. Quod ad melodramata vero pertinet, multus est, et merito quidem, in laudando Metastasio, cujus se esse imitatorem gloriabatur. Prorsus cum lacte nutricis cum quodamodo suxisse dixisses in musas studium: nam ex pueritia nondum excesserat, cum coepit condere versus latinos et Italicos minime ineleganter, et vix compleverat XVII. aetatis annum, cum Dramma emisit, cujus est titulus: *La Scilla abbandonata.* Postquam satis diximus de poeticis Matthaeji scriptis, quorum quae fuerint summorum homi-

num judicia ipse sui amantior, qui de se praedicari cupiebat, ad satietatem usque recenset; restat ut dicamus de ejus exercitationibus forensibus, a quibus non solum docti hominis, sed et probi laudem obtinuit. Jam inter omnes constare videtur nullibi magis quam Neapoli florere Romanae jurisprudentiae studia, quae qui ita excolunt ut eruditioni adjungant eloquentiam, dominari in foro facile posse putantur. Hac tum laude florebat maxime Stephanus Patritius, cum quo maximis amicitiae vinculis erat conjunctus, cumque eum aliquando disputantem audivisset de jure feudali, occasionem inde arripuit carminis exarandi, quod *Rempublicam Feudalem* appellavit. De Feudis quidem saepe ei contigit agere in suis disputationibus forensibus, cujus juris quod nullum vestigium ac nulla littera appareat in legibus Romanis, historiam ut loquimur, barbararum nationum, a quibus illius ortum repetere debemus, earumque mores et jurisprudentiam sic noscere studuit, ut hoc quoque instrumento satis ornatus ad caussas posset accedere. Quae vero essent in media Romanorum jurisprudentia retrusa atque abdita, mos

ei erat persequi iis philosophiae subsidiis, quibus legum et judiciorum latores jus condidere, quod omnium aequissimum cunctae nationes esse judicarunt. Vel antequam forum attingeret, notam fuisse ejus in jurisprudentia doctrinam ex hoc intelligi potest, quod a Mutinentium Duce invitatus fuit ad condendum legum codicem (1) quod suscepisset onus, nisi eodem tempore jussus fuisset operam praebere aulae in melodramatibus scribendis. Ipse quidem arbitrabatur viros bonos jure civili fieri posse, quia legibus et praemia proposita sunt virtutibus, et supplicia vitiis, sed virtutem hominibus (si modo tradi ratione posset) instituendo et persuadendo, non minis, et vi, ac metu tradi praesertim debere. Hac arte liberos educabat, sed hoc infelicitatis fuit illius, ut uxorem ammitteret, (quam ut jacturam sarciret, quinque post annos aliam duxit Ursulam Criscuo-

(1) In vol. VIII p. 119. Interpretationis Psalmorum hujus rei monumentum extat.

liam) et quem reliquit unicum ex multis filium, in Neapolitanis motibus ob Gallorum in illud regnum ingressum eas secutus fuerit partes, ob quod capitis condemnatus fuit. Porro nihil illi profuerunt Patris exempla, qui otium et tranquillitatem vitae praesertim secutus est (1) vel ab ineunte aetate didicerat motus cohibere virtuti inimicos, et vitae actiones sic gubernare, ut nil posset eum a moderatione, ab integritate, a pietate et ab religione deducere. Qui in eo nimiam gloriae cupiditatem reprehendunt, nil humanitati concedere videntur, qui vero ipsum accusant, quod liberius in interpretatione divinorum librorum veterum, et vel SS. Patrum sententias interdum desereret, ut novis indulgeret, non satis perpendunt, quas attulit rationes, ut sua dicta, si non semper certissimis

---

(1) Scribens ad Hiacintum Cerutium ait „ Io in Napoli non parlo mai di cose letterarie, non contrasto con nessuno, non disputo, non dò giudizio, stimo tutti, non fo partito, e studio per me, e pubblico le cose mie senza curar degli altri.

argumentis, probabilibus saltem conjecturis comprobaret. Incredibile tamen est quanta illum molestia affecerint reprehensiones vel malevolorum, vel invidorum, vel imperitorum (1), quodque de iis confutandis laboraverit, non probare videbantur, qui noverant, illius ingenium et doctrinam, quique se adscripserant sententiae eorum, qui uno ore consenserant de utilitate et praestantia hujusce interpretationis, cujus extitere quatuordecim usque editiones, vel antequam Auctor extremam illi manum imposuerit. Mirum vero omnibus videri debet, quod non minorem gloriam ex privatis studiis, quam ex forensibus obtinuerit, ad quae cum accedebat, perspici facile poterat insidere in ejus mente justitiam, aequitatem, fidem, et ea tenere omnia, in quibus maxime ceterorum jurisconsultorum exultabat oratio.

---

(1) Ceteros inter multam acerbitatem attulerunt suis in animadversionibus Franciscus Catania, Franciscus Antonius Fantutius e Capuccinorum familia, Hintzius Calaritanus Professor et e Dominicanorum familia, Rugilius Praesul maximeque Theatinus Canatus Hintzium confutavit Matthejus, edito Augustae Taurinorum opere, cujus est inscriptio: *Apologetico Cristiano*.

Quare minime est mirandum, si ejus opera usi fuerint ii, quibus summa rerum in administratione rei publicae commissa erat, gravissimis in muneribus (1), quorumque caussa missus aliquando Romam fuit. Non est credibile quantis hic honoribus affectus fuerit, invitatusque ad dicendum, dixit in Arcadum coetu dissertationem de Habacuc cantico, grande illud quidem sententiis et verbis, quod versibus Italici, suo more elegantissimis reddidit. Vides jam studia Matthaeii, quae ut florerent Neapoli, nulli sane pepercit industriae. Aloysius Targionius inclusit in volumen trigesimum Neapolitanarum ephemeridum, quae idem Regi ipsi exposuit ad bene gubernandum sodalitium ut vocant Pietatis, cujus praefecturam ipsi demandata erat, ad amplificandam in eo Bibliothecam musicam, ad juvenes hujus artis praeceptis bene instituendos, et ad Psalmorum a se in Italicam poesim converso-

(1) *Appellabantur haec*, Uditore de' Castelli, Avvocato Fiscale nella Giunta delle poste, e Avvocato Fiscale nell' Udienza Generale di guerra e casa Reale.

rum cantum provehendum (1). Hominis dignitas multum ponderis orationi et consiliis illius addebat, sibique gratulabatur, quod in summo studio boni publici multa assecutus esset, quae summorum suorum laborum, summarunque vigiliarum fructum satis copiosum sibi afferebant. Profecto si pari diligentia valetudini quoque suae consuluisset, vitam diutius produxisset. Coepit enim pectoris infirmitatibus conflictari, in quibus ut vel remedium vel solamen inveniret, secessit in suburbanum collem, cui Vomeris nomen, ubi vitam finivit nocte, quae praecessit Kalendas Septembris an. MDCCXCV.

---

(1) Tantum tribuebatur Matthaejo in omni arte musica, et poetica, ut Rex non solum proposita ab eo approbaverit, sed etiam an. 1795. declaraverit *che lo destinava per Fiscale delle poesie di Corte e di tutte le rappresentanze teatrali nella Real deputazione de' teatri e spettacoli*.

NON INOPPORTUNA EDITORIS ADNOTATIO.

Quod ad poeticam Psalmorum interpretationem astinet, minus e veritate videri potest Fabronius rem aestimasse, et Matthejo plus tribuisse, quam res ipsa concedat. At istud fortasse ex eo factum est, quod ipsi minime sub oculos ceciderunt, quae Matthejus ipsemet de se fateri non dubitavit, in epistola ad Caesarottum data 2. Jun. 1778., quaeque ad eum rescripsit Caesarottus 11. Jun. En Mattheii verba: Mi direte che nulla di questa moderazione abbia io usato cogl' Interpetri della Bibbia, e qualche volta anche coi Padri. Abbiam fatto male tutti e due. *Sic vero Caesarottus:* I Salmi posson chiamarsi vostri, giacchè voi per lo meno fate a metà con Davide; *quae sane verba non multum habent commendationis; plurimum enim ita detrahitur de interpretationis non solum dignitate, sed etiam veritate, quae interpreti debet esse omnino proposita. Multo vero minus forsitan perlegere Fabronio licuit, quae in Dictionario Theo-*

logico Encyclopaedico Bergerii Romae a doctis viris castigato, et additionibus locupletato ad articulum „ Salmi tradotti nella nostra lingua „ *sunt apposita, quaeque hic excribere admodum juverit*. Accenniamo la italiana poetica versione da fuggirsi, ed è quella dell'Avvoc. Saverio Mattei, passato pochi anni sono all'altra vita. Noi non gli contrastiamo l'erudizione poetica e musicale, con cui procurò d'illustrare quasi in nuova maniera i Salmi, sebbene non vi scorgiamo sempre nè la ragione, nè la certezza a lui favorevole. Osserviamo però ch'egli è disprezzante dell'autorità de' Santi Padri e degl'interpreti in questa materia, ascrive loro degli errori, che non sostennero giammai, li rimprovera d'ignoranza e principalmente nelle lingue ebraica, e greca, quasi che la tradizione, di cui testimonj sono i Santi Padri, ossia la voce universale della Chiesa non sia la migliore interpretazione di quei sagri cantici . . . . . Codesta poetica versione, quantunque celebre imitatrice dello stile di Metastasio, pure non ha lo spirito dell'originale, animato da quella divota energia, che eccitar de-

ve nell' animo i diversi e molti affetti, di cui ripieni sono i Salmi; sicchè alla fine l'opera Mattejana può rimanere fra le erudite soltanto, e grandemente macchiata de' sopra enunciati difetti. *Et paulo infra*: Dapprima era sembrata ad alcuni pregevolissima, seguiti poi da tanti altri encomiatori della medesima, senza sottoporla ad esame, e conoscerla per condannata dal buon senso cristiano, dalla ragione, dalla prudenza, e dalla retta dottrina. Ma egli è questo un fenomeno avvenuto già in Italia e prima e poi, rapporto ad altre opere da prima encomiate al sommo, e dispregiate in seguito dai saggi Italiani, amici non del partito, ma unicamente della bellezza del vero. *Haec adnotanda esse censui, ut satis justam excusationem afferrem, qua quidquid esse potest invidiae, a cl. viro Fabronio deprecarer. Quae ipse de ceteris Matthèji studiis atque operibus vitam illius declarando scripsit, et commendavit, posterorum judicium minime pertimescent. Et vero licet Xaverius in eo, de quo diximus, genere sibi praefidens, ac de seipso gloriosus loquens non parum contra officium atque aequitatem*

offenderit, non tamen idcirco summam illi laudem et ingenii et eruditionis et doctrinae ullus tribuere dubitabit. Melius famae ipsius consuluisse eos puto, qui interpretationem Psalmorum a Matthejo elaboratam postremum edendam curantes Dissertationes omnes, et adnotationes, et animadversiones praeciderunt, una dumtaxat Latina versione ad latus in singulis paginis applicita, quam ille ipsemet ex Hebraico textu adornaverat.

OPERA EDITA.

Xaverii Matthaei per Saturam Exercitationes, Neapoli 1759. ex typ. Simoniana in 4.

I libri poetici della Bibbia tradotti dall'Ebraico originale, ed adattati al gusto della poesia Italiana, colle note ed osservazioni critiche, poetiche e morali e colle dissertazioni ne' luoghi i più difficili e contrastati del senso letterale e spirituale. Hoc opus edi coepit Neapoli an. 1766. Recusum ibi saepius fuit semper auctum et emendatum ab Auctore. Editum quoque fuit Senis Maceratae, Vercellis Augustae Taurinorum, et semel iterumque Patavii typis Seminarii, quam Patavinas editiones VIII. voluminibus comprehensa et viginti quatuor dissertationibus, doctis illis quidem et laboriosis, ornatos, omnibus praeferendas judico.

Auli Jani Parrhasii Quaesita per epistolas ex recensione H. Stephani: accedunt alia opuscula ex mss. excerpta cum ejus vita conscripta a Xaverio Mattei. Neap. 1771. apud Simonem in 8.

Saggio di Poesie Latine ed Italiane. Napoli nella Stamperia Simoniana 1774. vol. 2. in 8. Opus istud cum editum fuisset iterum. Neapoli an. 1780. typis Josephi Ma-

riae Porcellii, et Augustae Taurinorum a Briolio, auctum fuit tertio volumine.

I Paradossi, epistole morali di Saverio Mattei. Siena 1776, atque iterum an. 1778. typis Vincentii Pazzinii in 8.

Saggio di Risoluzioni di dritto pubblico Ecclesiastico. Siena 1776. nella stamperia di Luigi e Benedetto Bindi in 4. *Decem usque numerantur*. I. Degli abusi nello spoglio de' Vescovi. II. Della necessità del Regio assenso nelle fondazioni de' luoghi pii. III. Per lo Regio padronato del Monastero di S. Maria del Patire de' PP. Basiliani in Calabria. IV. Della facoltà de' Vescovi nell'unire i benefizj a' Seminarj. V. Della disciplina antica, e moderna intorno alle decime. VI. Se le Leggi proibitive de' nuovi acquisti possano allegarsi fra ecclesiastici ed ecclesiastici. VII. Della necessità di darsi ad enfiteusi tutti i fondi de' luoghi pii. VIII. Della Consulta sul Concilio Romano ec. parte che riguarda il Cap. unico tit. 19. de reb. eccles. non alien. IX Della disciplina antica e moderna intorno alle onorificenze, e distinzioni pretese da' laici nella Chiesa. X. La concordia del Sacerdozio coll'Impero nelle fondazioni delle Chiese, e de' Monasterj.

Hoc quidem opus editum fuit Augustae Taurinorum cum hoc titulo: Saggio di risoluzioni ec. Edizione prima Torinese dall' Autore ampliata, corretta ed in miglior ordine distribuita. Torino presso Gio. Michele Briolo 1785. 1787. vol. IV. in 8.

Uffizio de' Morti tradotto, colla dissertazione di Giobbe Giureconsulto. Siena 1780. e 1781. in 8. Vercelli 1782. dalla tipogr. Patria in 24. e presso Porcelli in Napoli.

L' Uffizio della B. V. secondo la volgata, glossa latina, Parafrasi Italiana, e dissertazione liturgica. Siena 1777 in 8. con 10. figure, presso Pazzini Carli. Padova 1777. presso Gio. Manfrè. Vercelli 1778. dalla tipografia Patria in 24. Siena 1784. in 8. e presso Porcelli in Napoli.

Il Salmista confuso in occasione della morte dell' Imperadrice Maria Teresa, con una graziosa lettera all' Accademia di Pavia. Nap. 1781. in 8.

Per le Greche Colonie di Sicilia sulla domanda di deputarsi in quel Regno un Vescovo Nazionale, aringa ec. Napoli 1781. in 8., Colle 1785., Vercelli, Torino ec. *Haec oratio varias in linguas conversa fuit*.

Decasillabi, Oppidorum subjectorum parentalia, Descriptiones honorariæ, Parentalia liberorum, Inscriptio poetica: *Extant in*

collectione di Prose e versi per onorare la memoria di Livia Doria Caraffa Principessa del S. R. Imp. e della Rocella Parma 1784.

Dell'autorità del Giudice nell' obbligare al giuramento due litiganti di diversa religione, Dissertazione: Napoli 1784. *Alibi quoque impressa fuit.*

Memorie per servire alla vita del Metastasio in una lettera all' Ab. Giuseppe Orlandi: Colle 1785. in 8.

Elogio del Iomelli, o sia il progetto della poesia e musica teatrale. *Bina haec opuscula edita quoque fuerunt cum operibus Metastasii. Neapoli et Niceae.*

Dissertazione sopra i Salmi Penitenziali e le antiche penitenze: Milano 1785. presso Giuseppe Morelli in 12.

Apologetico Cristiano, ossia esame delle accuse del P. Hintz in 8. Cagliari, Napoli e Torino.

Se i Maestri di Cappella son compresi tra gli artigiani: Probole in 8. *Lusus hic semel atque iterum ac saepius typis impressus fuit Neapoli, Florentiae etiam, Mediolani, et Augustae Taurinorum,*

Che la dolcezza delle pene sia giovevole al Fisco più che l'asprezza, Paradosso politico e legale: Napoli 1787. presso Giuseppe Maria Porcelli in 8.

ANGELUS FABRONIUS

PHILIPPO SARDIO ARCHIEPISCOPO

LUCENSI

S. P. D.

Nemo te, Praesul amplissime, melius novit, quanta vis ingenii, doctrinae, et elegantiae insit in Dominico Pacchio, cujus opera sic uteris, ut Seminarii tui alumni divinis litteris imbuantur. Ego quoque pro jure amicitiae exigere me ab illo posse putavi, vitam ut Latine exponeret Jo. Dominici Mansii, qui istam Sedem, quam singulari opinione prudentiae atque innocentiae meritissimo occupas, per annos quinque et amplius sic tenuit, ut vita atque scriptis praeclarissima posteris exempla ad imitandum reliquerit. Fuit quidem semper laus propria Lucensium Antistitum, ut decus omne sapientiae cum re-

ligionis, sacrarumque caeremoniarum studio jungeretur, in quo non modo populorum, sed et Reipublicae ipsius salutem atque felicitatem sitam esse rectissime judicarunt. Quo enim referuntur omnia Christi praecepta, nisi ut sobrie, juste, et pie vivamus, ut appetitus sint tranquilli, atque omni perturbatione animi careant, utque utilitates nostras iis in rebus quaeramus, a quibus abest turpitudo, quae si in deformitate corporis habet aliquid offensionis, quanta illa depravatio et foeditas turpificati animi debet videri? Extiterint licet multi, qui in hac infelicissima rerum omnium conversione atque eversione traducere conati sunt animos a divinis institutionibus, et a sanctissimis majorum exemplis ad turbulenta consilia, ii quidem effugere vituperationem minime potuerunt vel eorum, quos sperabant fore libidinum suarum patronos. Virtus, ut praeclarum est Ciceronis dictum, in tempestate quieta est, et lucet in tenebris, et pulsa loco manet tamen atque haeret in

patria, splendetque per se se semper, nec alienis unquam sordibus obsolescit.

Porro quid est, quod ab illis non metuas, qui religionem, patriam, et omnia honesta ludibrio habent? Si pacem, uti speramus, habebimus, rectores civitatum rerum praeteritarum commonefacti exemplis intelligent, quantum sua, quantum Reipublicae intersit, munire communem arcem bonorum, et obstruere perfugia improborum, et qui sacris praesunt magis magisque elaborabunt, ut non hic noster, sed antiquus mos vigeat, utque ea studia colantur, quae ad bene beateque vivendum, quanquam iis multi perverse et ingrate abutantur, sunt instituta. Ad id opus erit magistris, quorum nota sit doctrina, facultas etiam et dexteritas in ea ceteris tradenda, et quod caput est, morum probitas; nihil enim dicere et facere debent, quod malum oleat. Nec probatis tantum erunt moribus, sed prudentes quoque, et ingenium habebunt accomodatum ei, quam profitentur, arti atque ei generi auditorum, quos in disciplinam

recepere, quo melius et ii tradant, et hi percipiant. Non rabiosus sit grammaticus, non ineptiarum, sed germanae eloquentiae laudator rhetor, non pertinax ullique sectae addictus philosophus, non rixosus theologus, omnes denique caveant intempestiva, odiosa, atque inefficacia praecipere. Ad id filiorum loco habeant discipulos, nec pecuniae nimium sint avidi; nunquam enim bene traditur disciplina, quae venditur, quod in primis vitavisse Socratem auctor est Xenophon in Commentariis. Gratulor tibi, quod hujusmodi plures habeas adjutores, qui non patientur quidem optima studia a Mansio, et a te summis curis culta

. . . in pejus ruere, et retro sublapsa referri

et subsidia industriae atque instrumenta virtutis in libidine audaciaque consumi. Vale.

Florentiae Non. Oct. MDCCCI.

DOMINICUS PACCHIUS

ANGELO FABRONIO

S. P.

Quod invitatu hortatuque tuo confeci commentariolum, qualecumque est, tibi offero, Vir Clarissime; ne tamen pro desiderio tuo satisfecerim, admodum vereor, qui ne mihi quidem ipsi videor satisfecisse. Quoties enim cum Latinis scriptoribus me oblecto, perplacet germana illa linguae elegantia et munditia, et aequabiliter molliterque fluens sermonis concinnitas, in qua mirifice tu quoque excellis. At cum scribo ipsemet, et quae scripserim recognosco, duriusculum nescio quid offendo, Latinitatis vestigia video, effigiem et formam non video. Eundem, ut a te audivi, in rhetoricis studiis praestantissimum sane doctorem alius

alibi utersque nostrum habuit; (1) verumtamen sicuti non omnibus eadem ingenii habitudo, neque idem discendi ardor, ita non idem omnium profectus; serius autem me non profecisse poenituit, quam ut mederi dies posset. Pro meo tamen sensu haud mediocriter doleo effluxisse jam illud seculum, quod Facciolatum tulit, Lagomarsinium, Bonamicios, Mazzolarium, Ferrarium, Cordaram, Cunichium, aliosque ejus notae scriptores elegantissimos. Ut vero nunc est, non parum sane verendum, ne Latina lingua (quam repentina rerum conversione facta plurimi prorsus immerentem negligunt, quodque probrosum magis est, eam negligendam existimant) brevi apud nos pene sine honore jaceat; nisi forte contra quam fas est conjicere volumus, quae tristia habuerunt initia, bonos exitus habitura. Sed mirum profecto domesticas ab Italis laudes minimi plerumque aestimari; qua-

---

(1) Josephum Marinus Mazzolarium Pisauriensem Jesuitam, qui in suis edendis Libris nomen sibi *Josephus Marianus Parthenius* fecit.

si vero Latina lingua una propemodum reliqua aviti patrimonii pars non esset, qua nos spoliare nunquam externi sunt ausi. Licet enim in eo scriptionis genere illorum aliquot excelluerint, hanc tamen laudem Italiae acceptam retulerunt semper libentissime, aut Italiae primas candide et meritissimo detulerunt. Quanquam multo illud etiam turpius, quod linguae ipsius Italicae cultus oblanguisse jam plurimum apud nos videtur, ac praeter modum refriguisse. Nimium profecto in dies invalescit fucata quaedam et insolens et inepta peregrinitas vocum, et scriptionis genus externarum gentium stylo absurde interpolatum tam frequenter auribus nostris atque oculis inculcatur, ut Italicae linguae suavitatem nitorem gravitatem a plerisque recentiorum scriptis abesse fatendum sit. Quo quidem loco non id reprehensione dignum dixerim, quod exterorum sapientiam et elegantiam plurimi nostrates praedicant, et externa legunt cupidissime atque admirantur; quae autem excellentem habent pulchritudinem, quis non admiretur? Sed quidquid in exterorum scriptis concinnum ac venustum inconsiderate videtur, idem prorsus

ipsum a nostris in Italica scriptione temere liberrimeque usurpari, et peregrinitati quasi civitatem dari, id probro et crimini profecto est. Ut enim illud praeteream Italicae linguae injuriam fieri tanquam inopi, dum ad externa nulla ratione confugitur, suos quaeque lingua flores habet, sua lumina, colorem suum; at si haec ipsa, et eorum formis ad alienam linguam licentius traduxeris, flores intereunt, sordescunt lumina, turpatur color; siquidem unaquaeque lingua in suis veluti aedibus se esse dominam vult. Nihil porro de iis dico, penes quos, nec immerito, Italicae linguae arbitrium antea fuisse videbatur; nata enim apud eos fuerat atque accuratissime enutrita. Nunc vero vel pura ipsa et emendata patrii sermonis syntaxis fere in oblivionem penes illos venit; adeo ipsam cum Gallici praesertim sermonis syntaxi permiscendo pessundant, atque etiam creberrimis inquinant solaecismis, et licet cetera eruditi tam impolite ac mendose scribunt, ut in hoc emendatae dictionis genere reliquarum Italiae urbium scriptores plerumque longe plurimum praestent. Quam merito Mazzolarius ora-

tione illa sua ad Florentinos de Italorum in Litteris Principatu *sexaginta jam annis ante scripserat* „ Nolite pati pulcherrimam linguam per vestram incuriam atque socordiam exoticarum hibridarumque vocum frequentia insolentiaque dehonestari. *Verum de ista quoque temporum inclinatione ac tristitia, in quam tenebrosissima nostra aetas incidit, tecum qui idem sentis, conqueri diutius nolo, eo vel maxime, quod atrociora alia in oculos incurrunt, quae, licet non satis commode ac libere, defleantur. Ad Commentariolum redeo, quod Mansio dignum esse voluissem quam maxime; sed praeter voluntatem ac diligentiam nihil praestare aliud potui; si autem his, quae praestiti, contentus eris, mihi ipse minus displicebo, qui parum semper mihimet placui. Ut Latinis atque Italicis litteris diu vivas, auguror et exopto.*

Lucae Idibus Sextil. MDCCCI.

JOANNES DOMINICUS MANSIUS.

Quanquam praeclara eruditionis monumenta, quae viri doctissimi publicis litteris prodiderunt, eos ipsamet ad omnem memoriam commendant, quiddam tamen insigne est, tum ad eorum laudem, tum ad historiae utilitatem, et posterorum incitamentum, si litteratos istiusmodi hominum labores, studiorum rationem, vitam moresque lucide ac breviter describendo expressa aliqua illorum veluti imago accuratius proponatur. Hac enimvero mente Joannis Dominici Mansii vitam declarare aggredior, illius nempe hominis, cui gravissimum et multiplex sacrarum disciplinarum genus quan-

tum debeat, vix dici profecto potest. Natus ille est anno millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo xiv. Kal. Martias Lucae, quae civitas praecellentium ingeniorum laude, atque scriptorum insignium copia nunquam non eminuit. Parentes fuerunt Josephus Mansius, et Rosa Torria, conjuges genere, et nobilitate cum primis ejus civitatis illustres. Etsi vero Joannis Dominici puerilis aetas in ea tempora incidit, quibus latinae litterae squallebant plurimum, (siquidem et Grammaticorum, et Rhetorum maximae plerumque erant ineptiae et insulsitas non mediocris) ea tamen mentis sagacitas in illo eluxit, ut cum primum ex Grammaticae tricis sese potuit explicare, ad latinos praesertim historicos scriptores legendos meditandosque incubuerit avidissime. Ita porro sensim non sine acri animi contentione eam sibi latine scribendi rationem comparavit, quae satis et nitida et gravis et accommodata esset, qualem universa ipsius scripta praeseferunt. At quoniam praeter celeres ingenii motus, et memoriae vim prope singularem, ardoremque mirificum addiscendi inerat in adolescentu-

lo magna quaedam morum suavitas atque ingenuitas, et pietatis egregia indoles, idcirco temporum officiorumque momenta diligenter perpendens, licet major natu inter fratres esset, sexto decimo aetatis anno Congregationis, quam Clericorum Regularium Matris Dei nominant, ineundae consilium coepit. Re impetrata Neapolim alacer petiit, ibique in tyrocinium ingressus est; quo post biennium confecto, votisque solemnibus emissis Lucam revertit, ut Philosophiae operam daret. Fastidiosum admodum erat adhuc atque horridulum id studii genus, quippe inanibus omnino disputationibus nimis permixtum. Mansius itaque, qui solidam utilitatem ac scientiam natura admonente maximopere appetebat, haesit primum aliquantisper; mox tamen se omni molestia expedivit, hoc sibi uno proposito, ut quae in utilia essent, secum ipse respueret, utiliora ac veriora sedulo arriperet, cetera tantummodo delibaret. Quidquid interea sibi erat otii, optimorum sacrae potissimum eruditionis librorum lectioni id omne tribuebat; quod quidem et vero studiosius praestitum ab eo fuit,

posteaquam ad Theologicas disciplinas se libentissime applicuit. Ingenita enim, qua incensus erat, Ecclesiasticae historiae scriptores perlegendi cupiditas satiari minime poterat; quam ad rem graecas etiam litteras sibi subsidio comparavit. Nec vero antiquitatem solam annalibus consignatam ei libebat evolvere et cognitione assequi et memoria sepire, verum etiam quaecumque id genus emitterentur in lucem, percupide conquirebat, ut animadversiones, si quae antiquitatem illustrarent, et emendationes aut factorum aut temporum acriter introspiceret, ac recto criticae artis usu de genuinis, de suppositis, de incertis prudenter cognoscere assuesceret. Studiorum curriculo de more absoluto, eum Philosophiae primum, deinde Theologiae tradendae sui praefecerunt, quo item tempore nihil a privati studii instituto recessit; neque imbecillitas corporis, et virium infirmitas, qua laboravit aliquandiu, commentandi plurima, plurima indagandi meditandique aviditatem in juvene incredibilem retardabat. Sed posteaquam satis roboris habuit, id ei muneris commissum fuit, ut illam publice

interpretaretur Theologiae partem, quae circa mores versatur. Isthaec sane scientia innumeris quaestionibus obsita, sententiarum varietate persaepe anceps, legum ac decretorum pene infinita serie undique referta distabat longe plurimum ab eo doctrinae genere, quod Mansius prae ceteris adamabat. Paruit tamen minime invitus, et traditum sibi munus ea laude ac dignitate vel ab initio explevit, ut auditorum, quorum frequenti corona stipatus erat, desiderio cumulatissime satisfecerit. Ne vero quempiam in posterum obscuritas remoraretur earum rerum, quae circa reservatos casus aut difficiles aut ambiguos habebant explicatus, satis copiose dilucideque ipsas perutili libro exposuit, cum vix trigesimum secundum attigisset aetatis annum. Quae prima ipsamet lucubratio ut in lucem prodiit, in sua facultate jam egregie versatum hominem declaravit, et mentis intelligentiam, gravitatemque judicii. Et vero iterum postea discentium commodo impressus liber fuit, (decuisset autem fortasse recudi etiam tertio, potiusquam in epitomen redigi, prout non ita pridem factum

est). Dici vix potest, quantum Mansii opera Clericis et Sacerdotibus profuerit Lucensis dioeceseos, ad quos in scientia morum instituendos non modo patienti, sed etiam libenti animo per complures annos incubuit. Neque enim ulla unquam ei cura defuit, ut et rudiorum et exercitatiorum commodis industriam attemperando serviret, atque optimam quandam quasi formam omnium ingeniis imprimeret. At si in una hac longe operosa provincia elaborare cuivis alteri poterat esse permagnum, Mansio non item, qui reliquas munere vacuas diei horas abditus in cubiculo, et librorum multitudine circumfusus alia prorsus meditabatur, eaque non minus gravia atque utilia. Et vero annus unus ab ejus libri, de quo dixi, confectione intercesserat, cum latine a Mansio redditus in lucem prodiit peramplum eruditissimumque Glossarium Biblicum, quod praestantissimus omni litteraturae genere Calmetius sermone suo Gallico concinnarat. Pari autem deinceps studio atque celeritate (quam ut adhiberet, aliena etiam opera usus nonnunquam est) ejusdem Auctoris Prolegomenorum et Dis-

sertationum in singulos Sacrae Scripturae libros, itemque litteralium in universa Biblia Commentariorum latinam versionem feliciter adornavit, complexusque est totum opus quatuordecim grandioris molis voluminibus. Minime ideo mirum videri debet, si tam uberes celeresque ipsius studiorum fructus, qui ad universos permanabant, jam tum maximam laudem et nominis celebritate apud doctos ei conciliarint. Calmetius ipsemet cum primum egregiam illius industriam et exquisitum judicium perspexit, datis honorificentissimis litteris eum quam plurimum commendavit, et facultatem fecit praeterea conformandi (1), quae minus placuissent, (quod parcius sane, quam par erat, praestitum fuit). At Mansius ingens aliud, et novi generis, diuturnumque opus adorsus continuo est, cujus primum

(1) Eruditissimus Calmetius nulli labori pepercit, ut cuncta, queis possent Biblia quoquo modo illustrari congereret, at plurimorum doctorum judicio magnum tum in rebus tum in opinionibus delectum neque adhibuit neque reliquit.

volumen eodem ipso anno evulgari coepit, quo Biblicorum Commentariorum postremum volumen emissum e praelo fuerat. Curandam nimirum susceperat novam Ecclesiasticorum Annalium editionem, quos adversus turpissimas et temeritatis plenas Magdeburgenses Centurias olim a Caesare Baronio docte et supra quam credibile est laboriose digestos, ab anno MCXCVIII. ubi iste desierat, ad annum usque MDLXV. Odericus Rainaldius fuerat persecutus. Apparatum itaque eruditissimum amplissimumque, qui universo operi praeiret, Mansius confecit; deinde vero quoniam in Baronii libris non pauca erant aut minus vero conformia aut minus criticae artis studio consentanea, (quemadmodum perfacile accidere potuit in tanta et tam difficili praeteritorum temporum historia scribenda, eo vel maxime quod antiquitatis monumenta, quae in promptu esse tunc poterant, judicium delectumque maximum postulabant, innumera vero alia in tenebris adhuc delitescebant) opportunissimas ad paginarum calces subjecit Antonii Pagii adnotationes. Decebat tamen hasce ipsas ad trutinam re-

vocare, ut ad veritatem quam maxime congruerent; nam in istis non ita raro aut falsa opinione et errore, aut partium studium peccatum fuerat. Quamobrem praeter recentiores Dominici Georgii emendationes in Consulares Fastos, adiectae a Mansio fuerunt creberrimae animadversiones, emendationesque, quibus chronologia ac series historica conformaretur, et complurium etiam Conciliorum nova omnino notitia quamdiligenter inserta. Longe tamen plura ipse contulit ad Rainaldii libros recognoscendos. Cum enim frequentiora in istis occurrerent, quae modo castigari, modo illustrari, modo suppleri necesse erat, doctorum hominum, qui ad medii aevi antiquitatem discutiendam et monumentis confirmandam sedulò incubuerant, commentarios, disquisitiones, dissertationes naviter pervestigavit, et quae aut ad eruditionem aut ad historiae ordinem maximopere pertinerent, non tumultuaria rerum permixtione, sed severiori judicio excerpta ac retractata sagacissime appositeque in universo ingenti opere (nempe voluminum triginta quinque) distribuit singula. Quo sane

permagno et conatu et studio id perfectum fuit, ut Ecclesiasticae historiae, quae Baronii veluti parentis sui nomine merito gloriatur, permultum quoque dignitatis ex singulari Mansii industria et doctrina accessisse eruditi omnes vere et proprie asseveraverint. Cum talis tantusque vir ipse fuerit in Ecclesiastica historia illustranda, mirari satis eorum negligentiam non queo, qui cum in Dictionario Theologico Encyclopedico Bergerii (Italice reddito, et Romanis typis non ita pridem edito) articulum de *Cardinali Baronio* addiderunt, hujus Annales emendatos atque exornatos fuisse affirmarunt a Pagio, a Fleuryo, ab Ursio, a Becchetto, a Saccarello; Mansium vero ne quidem nominarunt; cujus tamen ex studiis atque vigiliis quoniam in hoc genere fructus cepimus amplissimos, eum nimis indiligenter, aut nimis illiberaliter praeteritum silentio fuisse quisque fatebitur. Sed hac re obiter attacta, neque enim visa est dissimulanda, ad propositum redeamus. In Annalibus itaque tum Baronii tum Rainaldii peropportune exornandis Mansii ingenium, acumen, diligentia, conatus maximo-

pere enituerunt, suoque ipse labore eorum, qui quid simile aggredi vellent, laborem profecto plurimum allevavit. Quod si id minime assecutus est, ut a laboriosis perpetuisque animadversionibus, quas tanto studio concinnavit, naevus prorsus omnis abesset (carere autem omnino majus est quiddam, quam quod ab homine postulandum sit, cui aliquoties honesto et probabili nomine error objici potest) non aliquibus tamen naevis, sed corpore omni totum hominem cognosci oportere nullus ignorat. Minime vero omnium ignorare is debuisset, qui in Romanis litteratorum Ephemeridibus acrius nec semel, graeca loquacitate, nec sine contumelia Mansium perstrinxit nemini infensum, et de se modeste sentientem, non erroris solum, sed etiam levitatis ipsum coarguendo. (Neque hic reticebo, quid ad eum tam acriter lacessendum hominem ceteroqui doctum et eruditum commoverit. Vetustissimo codici ex insigni Canonicorum Veronensium tabulario excerpto innixus Mansius Concilii Sardicensis epocham triennio citius, quam vulgo putabatur, statuendam esse affirmaverat. Nova quidem

prorsus opinio, at non ea tamen, quae adeo graviter notari ac vituperari injuriose deberet, honorifice enim de ea senserunt scriptores eruditissimi Ephemeridum Amstelodamensium, et Muratorio item, doctissimo illi viro, minime est improbata; qualiscumque ea tandem esset, contumeliarum aculeis nunquam decebat insequi (sed dicacitatis quaenam est temperantia?) Recenti isthac ingentis moliminis editione pertinaci conatu et sine intermissione ulla inter ceteras scholae occupationes confecta, ad quietem aliquam remissionemque revocare se posse Mansius videbatur. Sed quaedam ingenia sunt ad egregia studia ita a natura ipsa comparata, ut et contentione nunquam defatigentur, et quae doctrinarum studiosis prodesse possint, solerter vestigent. Tantum itaque abfuit, ut de laboris levamine cogitaret Mansius; totus jam in eo erat, ut Conciliorum Collectionem non mediocri accessione ditaret. Labbeus inter ceteros et Cossartius iis undique colligendis pridem adlaboraverant; Coleti deinceps cura ac labore admodum opus accreverat. Mansius tamen sexcenta usque nova

Concilia in lucem protulit, et plurimas item Epistolas, et Decreta Romanorum Pontificum tunc primum ex insignioribus qua graecis qua latinis codicibus non temere hausta. Praefationes singulis praefixit, adnotationes criticas chronologicas dogmaticas sapienter distributas apposuit, varias etiam variorum codicum lectiones, quod in ea re magni interest, quam diligenter recensuit. In hoc maximarum vigiliarum opere praesto ei quidem fuerunt recentissimae Collectiones Conciliorum Angliae a Wilkinsio, Hungariae a Peterfejo adornatae, et vetera etiam monumenta in novum Anecdotorum Thesaurum a Martenio congesta. Percommode etiam factum est ut ei pateret liberrime ad suam rem Canonicorum Lucensium majoris Templi Bibliotheca, quae et vetustissimorum codicum et antiquiorum editionum tum numero tum praestantia est maxime illustris. At quanta sagacitate et solertia opus fuit, et quam eximio delectu, ac sedula commentatione, ut quae perlustranda erant, scrutaretur, atque excuteret, et accurate perpenderet? Obtigit tandem ut earum rerum, quae veritate magis

commendatae essent, recensione et bene structa collocatione tantam segetem appararet, quae sex omnino grandioribus voluminibus lautissime instruendis edendisque suppeteret. Errarent porro turpissime, qui seu in novo hoc praediviti Conciliorum Supplemento conficiendo, seu in Ecclesiasticis Annalibus, quos antea memoravimus, diligentissime expoliendis maximum et assiduum tantummodo Mansii laborem in pretio habendum esse censeret. Quasi vero Lunigius, Ludevigius, Dacherius, Martenius, Mabillonius, Muratorius, Tiraboschius, ceterique omnes impigri antiquitatis conquisitores, a quibus tantas doctrinarum utilitates accepimus, industrii duntaxat et laboriosi homines appellandi essent, litterati et docti non item, contra quam consensu omnium et pro rei veritate judicatum fuit. Qui enim fere infinitam librorum et monumentorum multitudinem acutioribus mentis oculis inquirere, temporum et rerum latebras peragrare, falsa a veris secernere, optima seligere, atque apte illuminateque disponere sciat, (quemadmodum a Mansio factum fuisse novimus) non nisi praestan-

tissima esse in eo potest ingenii et memoriae vis, et intelligens gravissimumque judicium, atque eruditio perfecta. Verum reliqua Mansii opera (neque enim ita pauca sunt, aut minus elaborata) persequamur. Occurrit autem statim nova editio ab eo concinnata Ecclesiasticae illius historiae quam Natalis Alexander conscripserat, et doctis aeque ac luculentis dissertationibus illustraverat. Enarrationum ope, quas postea Constantinus Roncaglius ad ea capita, in quibus vitium erat, perdocte apposuit, a censurae nota, quae universo operi ab Innocentio XI. fuerat non semel inusta (1), eam prorsus liberari ex sententia successerat. Operae tamen pretium erat complura addere, quae post Alexandri obitum evulgata ad historiam exornandam potissimum conducebant; nec pauci insuper

---

(1) *Primum die 10. Julii 1684., deinde 26. Febr. 1687. Vide Aloysium Mozzium volum. 1 operis inscripti.* Compendio Storico Cronologico de' più importanti giudizj portati dalla S. Sede Apost. Rom. sopra il Bajanismo, Giansenismo, Quesnellismo.

erant loci, quos a novis haereticorum et Basnagii praesertim criminationibus vindicari plurimum interfuisset. Haec vero diligenter prestita esse a Mansio perspicue declarant selectissimae animadversiones eruditione doctrinaque plenae, quas peropportune et frequenter addidit non mediocri et ad historiae veritatem, et adversus perpetuos religionis hostes praesidio. Sed ut tyronum etiam, eorumque praesertim qui tenujores essent, commodo consuleret, de nova quoque editione cogitavit brevioris Ecclesiasticae historiae, quam Hyacinthus Gravesonius perutiliter contexuerat. Neque vero solum et attentius recognita a Mansio ipsa est, et cumulatius adornata; sed recentiorum quoque temporum historica appendix ad Gravesonii normam adjecta. Dum et religionis et litterarum bono tam sedulam nunquam defessus navabat operam, nihil sane inopinatum adeo atque inexpectatum, quam ut ante Romanum tribunal, quod *Congregationem Indicis* nuncupant, vocaretur. At cuipiam non infimi loci Theologo, (qui in naevis Probabilistarum rimandis, aut mendis exaggerandis contentioni plusculum

et acerbitati naturae, quam veritati largiri assueverat) liberiora quaedam et censoria notatione digna forte visa sunt contineri in eo libro, quem suorum omnium primum editum a Mansio fuisse dictum suo loco est. Ejusmodi praeterea criminationem, ut ut severioris doctrinae tenacissimus Theologus ille esset, veritus minime fuerat Venetis typis in suo quodam opere (1) pervulgare. Verum aliter res cecidit ac putaverat; nam epistolis ad Romanum tribunal a Mansio missis factum brevi est, ut nomini suo aspersa iniquissima labes perfacile evanesceret; siquidem planissime ostendit, quam detorta atque indigna fuisset accusatoris interpretatio, ita ut et Ricchinius, qui illius Congregationis a secretis erat, et Cardinales Besozzius atque Genti-

(1) Liber erat inscriptus: *Esplicazione di quattro Paradossi* ibique pag 47. legebatur: *Il libro del P. Mansi fu denunziato alla Sagra Congr. dell'Indice. E' stato meritevole della proscrizione. E quando non lo stampi spurgato da molte proposizioni false e scandalose, s'intende (come è notorio in Roma) ipso fatto condannato.*

lius, (1) qui eximiam Auctoris doctrinam summo in honore habebant, felicissimum causae exitum gratulati per litteras eidem plurimum fuerint. (Nec tamen idcirco aut apertam ullam aut obscuram simultatem eum postea cum accusatore gessisse credas: huic enim ipsi, cum deinceps ad Lucenses balneas valetudinis curandae causa venisset, nullum a Mansio officium defuit; nec vero aliter se gessit, dum Romae fuit, cum illo altero, a quo male mulctatum fuisse eum diximus circa epocham Sar-

(1) *Entrando a misura della particolare stima, che nudrisco per la persona di V. P., a parte di ogni sua letteraria sodisfazione e inconvenienza, ho provato molto piacere, che non sia per farsi più la motivata relazione del suo libro, per cui, e per il benemerito Autore goderò del pari di poter sempre con frutto impiegare ogni più efficace e dovuta assistenza:* sic ad Mansium scripsit Card. Gentilius IV. Kal. Aug. an. MDCCL. *Deve V. P. attribuire al suo merito, e al concetto, che quì si ha della sua virtù, e non ai miei ufficj, li quali per altro ho intrapreso molto volentieri, l'esito felice della sua causa intorno al Libro* de Casibus reservatis: haec Card. Besozzius Kal. Sext. ejusdem anni.

dicensis Concilii). Qui tot et tam egregia hactenus scripserat, atque in lucem protulerat, eorum unice oblitus fortasse videri poterat, qui illum antea per complures annos in morum scientia praeceptorem optimum habuerant atque amantissimum; sed ut iis quoque prodesset, sibi proposuit, ea tamen lege, ut non minus brevitati, quam eruditioni serviret. Ad quam rem nihil sane excogitare potuit accommodatius, quam ut in accuratissima Epitome conficienda elaboraret, qua strictim et enucleate atque apto ordine recensitum fuit, quidquid Canonicae et Moralis doctrinae complectuntur sapientissimi Pontificis Benedicti XIV. aurei libri, doctrinae atque eruditionis praeclarissimi uberrimique fontes. Quam postea Epitomen, quoniam et ratione disposita et admodum utilis visa est, non paucis item illorum operibus, qui de morum disciplina antea scripserant aut scripserunt postea, illustrandis perbelle veluti appendicem accessisse in recentioribus eorum editionibus novimus. Non mediocre praeterea in eo genere illud Mansii beneficium fuit, quod Laymannii gravissi-

mi peritissimique hominis Theologiam, jam alibi in compendium scite redactam, instructiorem atque ornatiorem Patavinis typis prodire voluit; peropportunis nempe et probatissimis ad praxim regulis ditatam, quas ipse e nitido fonte delibatas in sua certa genera coegit, suisque singulas capitibus attribuit. Cujus rei maximam utilitatem fatebitur, quisquis intelligat, quanto in studiis adjumento sint praecepta cum brevitatis et diligentiae laude sapienter et perspicue congesta. At non minus utilem operam iis quoque praebuit, qui philologicis rebus summopere delectantur. Huc nimirum, prae ceteris iisque hujus generis non paucis, exquisita potissimum pertinet diligentia, quam contulit ad Latinam mediae et infimae aetatis Bibliothecam castigandam, atque locupletandam. Joannes Albertus Fabricius, praeclara eruditione vir, jam senescens eam elaboraverat; imperfectam ideo reliquit, sed deinde Christiani Schoettgenii studio opus fuit absolutum. Perutile illud quidem, nisi vitiosum fuisset; superfluebant enim errata, et quamplurima insuper erant, quae desiderabantur. Voluminum propterea, qui-

N

bus continebatur, mille usque capita summa cura a Mansio emendata sunt, anachronismi correcti, aliaque complura menda ablata; qui in scriptorum operibus enumerandis praetermissi negligenter fuerant libri, suis quique sedibus accurate attributi accesserunt; postremo quae hac illac heterodoxi Bibliothecae auctores adversus Romanam Ecclesiam tela clanculum conjecerant, scite repulsa sunt, ne quis unquam pravarum opinionnm error eruditionem, cui unice toto opere indultum fuerat, perdere posset atque corrumpere. Quod si nihilominus id Mansio non obtigit, ut Bibliothecam hanc absolutissime expoliret, perficeretque, hoc ex eo factum est, quod cum id negotii susceperat, nil dum allatum in lucem fuerat ex Mazzuchellii, et Foscarenii, et Augustinii operibus, quae sane plurimum valuissent et ad Fabricii errores penitus eripiendos, et ad Scriptorum, quos ipse praetermiserat, seriem longe uberius adaugendam. Praecipua tamen Mansii consilia et maximi conatus alio prorsus spectabant; namque sex illa volumina, quibus Conciliorum Collectionem eum diximus

locupletasse, totius operis dignitati minus quam par esset respondere ratus (siquidem alia quamplurima, quae aut adderentur, aut emendarentur, certe supererant) Collectionem universam retractare atque instaurare strenue deliberaverat. Ad laborem itaque et studium impiger, nec de contentione quidquam remittens vel longa et difficilia itinera ingredi minime dubitavit, ut Bibliothecas nobilissimas praesens perlustraret, et quae ad suam rem pertinerent inedita, aut varias codicum lectiones recognosceret ac recenseret. Perinsigne Cassinense Monasterium ea mente petiit, ibique probatissima monumenta inquisivit; dissitam petiit Vindobonam, ut quidquid esset ibi reconditum in Caesareae Bibliothecae codicibus, scrutaretur; iterato se Romam contulit, et Vaticana manuscripta excussit, atque consuluit, facta sibi ubique indagandi ac seligendi maxima facultate; tanta erat in eo et doctrinae commendatio et famae celebritas (1). Amicissimi praeterea iidem-

(1) *Lubet hac de re Italicam epistolam subjicere, quam clarissimus doctissimusque Cardinalis Passioneus ad An-*

que docti viri ex suarum civitatum lectissimis bibliothecis alia complura suppeditarunt, ita ut dives jam affatim et magnifica supellex adesset. Omni igitur cura atque industria continenter versati, ut tantam novarum rerum copiam ordinate in ingenti opere distribueret, quae ceteri antea in colligendo peccaverant, emendaret, quae adjicienda erant, aut supplenda, opportune dispositeque proferret, adnotationes et dissertationes eruditius instrueret. Ut vero primum ipsum retexti operis vo-

---

Antonium Zattam Venetum Typographum dedit, cujus impensis tantum opus procurabatur. Quippe eximium atque honorificentissimum ium praeconium sum testimonium Mansii doctrinae in ea epistola tribuitur. L'unico consiglio (*sic scriptum fuit a Passioneo*) che avrei da suggerirle, si è che procurasse che il P. Giandomenico Mansi della Congreg. della Madre di Dio si disponesse a quì venire. Questo solamente io considero capace di dissotterrare dalla gran Biblioteca Vaticana cose degne delle fatiche, che ha impreso. Ed a lui piucchè ad ogni altro accorderò l' accesso in ogni tempo ed ora alla medesima. La consiglio a valersi di lui, siccome quello, il cui nome essendo cospicuo, può accedere ad ogni altra Biblioteca sì d' Italia che d' Oltramonti, senza che per lui sia bisogno di veruna raccomandazione.

lumen in lucem prodiit, summo illud plausu litterati homines merito exceperunt; quapropter mirifice animus est ei additus, ut rem tantam et tam salebrosam vehementius urgeret. Molestissimum tamen interea illud ei accidit, quod se apud Clementem XIII. Pontificem Maximum quidpiam praeter voluntatem offendisse intellexit. Offensionis porro ea causa fuit, quod praegrandes Gallicae Encyclopediae libros, (quorum altera editio Lucensibus praelis minus fausto omine curabatur) in iis, quae ad religione spectabant, ex purgandos, quemadmodum prorsus necesse erat, notandosque aliorum hortatu, forsitan minus caute, susceperat. Quod factum graviter adeo atque acerbe Pontifex tulit, ut Sarteschio, qui id temporis Congregationi Matris Dei praeerat, non semel affirmaverit Mansium ob eam causam sibi rebusque suis quamplurimum nocuisse, (fortassis enim, ut multorum gravis opinio erat, de eo, quem omni doctrina et virtute commendatissimum noverat, in Cardinalium Collegium cooptando antea cogitarat). Purgare sese Pontifici legitime potuisset, quippe haud ingratum la-

borem putaverat fore, si Gallici operis errores emendare pro sua et religione et virili parte studuisset. Quanquam tamen satis justa et sapiens erat excusatio, ab ea se abstinuit, atque ut primum de Pontificis querela audiit, manum ab incoepto libens removit. Re autem vera orbiculata illa disciplinarum series licenter et calamitose tot voluminibus ab eo externorum hominum genere consignata, qui etiam cum errant, suspiciuntur a multis, et nescio quo fato laudantur, (1) tanta plerumque labe ac caeno redundabat, ut facilius sane Herculi fuerit, quemadmodum ferunt, foedissimum Augiae stabulum Alpheo fluvio immisso repurgare. Soluto itaque et liberiori animo industriam suam omnem convertit ad ingens, quod aggressus fuerat opus de nova Conciliorum editione acri cura et diligentia quam maxima persequendum. Quo-

---

(1) Apposite ad hanc rem in Vita Joannis Castilionei haec egregie scripsit Fabronius: *Fortasse tum non videbat Gallia multos esse in sinu suo, qui dum gloriabantur se jura sua reddere philosophiae, tanquam furiae ad funus reipublicae convolabant.*

niam autem nec vigiliis nec curis parcebat unquam, alia jam atque alia operis volumina ad typographum Venetum transmissa fuerant; et vero etiam pro grandi mole, atque editionis dignitate non nimium lente prodibant. Sed ut reliqua item, quae succedere deinceps debebant, rite et copiose illustrarentur, non mediocris sedulitas atque assiduitas postulabatur; inventa enim erant in ordine redigenda; animadversiones atque enarrationes, ubi oporteret, adhibito judicio dispensandae, recentius observata cum superioribus editionibus perdiligenter conferenda, librariis tandem, ne exscribendo errarent, accusatius necesse èrat adesse. Nullus tamen eum deterruit labor, difficultas eum nulla retardavit aut impedivit, quominus constanter atque enixe in incoepto perseveraret, et acutius omnia inspiceret, nec quidquam negligeret, quo in suo genere perfectum absolutumque reddi opus posset. Quae hactenus de litteratis Mansii laboribus, etsi breviter, vere tamen et historice dicta sunt, tot ac tanta profecto esse cuique videbantur, ut totos sine intermissione dies eum in libris fuisse, litte-

ris studiisque prorsus vixisse, et in bibliothecis quasi tabernaculum collocasse dicendum sit. Secus tamen oppido fuit, idque propemodum singulare. Nam praeterquamquod Regularis instituti legibus et praescriptis nunquam illum defuisse, dum inter suos vixit, testatissimum est, neminem praeterea vidisses alium, qui et civibus et externis se in omni vita faciliorem praeberet. Illius cubiculum haud difficulter patebat omnibus; vocatus alio comiter aderat, qui cum consulerent, (erant autem frequentissimi) ipsos excipere nunquam recusabat, ita ut vel inchoatum apicem in scribendo haud gravate relinqueret; non feriatis solum, ut moris est, sed reliquis etiam diebus, qui ad animae labes Christiano ritu expiandas accederent, requisitus in templo audiebat; catecheses ibi et conciones ad populum persaepe habebat. Huc vero accedit, atque istud potissimum debet animadverti, quod illius opera, quam sedulam ac perutilem, et prae tanta hominis doctrina ac sapientia sibi pene etiam necessariam noverant, usi sunt assidue Guinisius, Colloredus, et Palma, qui in Lucensi Archie-

piscopatu administrando alter alteri successerunt. Quaecumque enim in dioeceseos fere singulis negotiis expediendis occurrerent, seu ad minora Sacerdotia, seu ad Clericos, seu ad mores atque disciplinam pertinerent, iis semper Mansium interesse volebant, vel potius praesse, et ejus sententia vel opinione audita dubitatio omnis aut controversia sine ullo erroris metu tollebatur. Illud igitur multo magis mirum tam variis curis distentum distractumque hominem tot et tam egregia et salutaria ad religionis praesidium ac decus, et ad Ecclesiastici ordinis utilitatem perpetuam scripsisse atque edidisse, ut nulla unquam posteritas eorum immemor futura sit. Scripsisset vero etiam licet jam senex esset, alia non minus profutura et praeclara, atque edidisset, (1) nisi a litteris et studiis eum cives sui amantissimi plane atque omnino adver-

(1) *Dictionarium historicum Conciliorum* Gallica lingua exaratum constituerat non solum Latine reddere, sed et multo rectius digerere, et additionibus uberrimis locupletare.

santem ac repugnantem abstraxissent Vincentio enim Torrio, qui Lucensium Antistes designatus fuerat, praepropera morte erepto, cum Senatus inter eos, quos facultatem habet nominandi, Mansium quoque vel invitum recensuisset, hunc ipsum Clemens XIII. elegit, atque Archiepiscopum pronuntiavit. Quo loco illud minime videtur silentio praetereundum, quod cum Mansius in eo esset, ut coram Summo Pontifice sui periculum de more faceret, audita illius est honorificentissima ea vox: *Luculentum jam scientiae doctrinaeque tuae testimonium habemus*. Apertissima isthaec significatio, et tantum Pontificis Summi de Mansio judicium, ejus qui honore auctus fuit, honoratam fuisse dignitatem profecto declarant. Quam vero diligenter atque eximie omnes aegre suscepti muneris partes impleverit, qui suos in eodem munere decessores tam accurate assidueque juverat, nihil est cur multis, qui haec legent, moremur. Quae enim maxima tributa illi fuit dignitas, eam in majorem commissi gregis utilitatem, et religionis dignitatem contulisse illum, dum vixit, nemini dubium fuit.

Etsi devexa aetas, ac virium imbecillitas gravitatem rerum sustinere non posse videbatur, animi tamen ardor et virtus naturam quodammodo roborabat; nec vero recusavit, ne totam ipsemet praesens dioecesim, quae laboriosa admodum est, studiosissime sanctissimeque lustraret. Ut pro pastoralis officii onere temporis et necessitati serviret, a scriptione et studiis ipsum cessare oportuit; subcisivas tamen aliquoties, cum licuit, horas, ut ne quo forte casu grandius illud Conciliorum Collectionis opus, quod praecipuas ejus curas sibi vindicaverat, interceptum restaret, iis quae reliqua erant conficiendis perficiendisque raptim impertivit. Quapropter re tandem tota ad exitum feliciter adducta, volumina ad unum omnia prorsus absoluta Venetias idem ipse transmittere commodum potuit, ut antea proposuerat. (1) Nec sane tanta in iis

(1) Testatus hoc ipsum fuit Venetus Typographus Antonius Zatta in sua ad Ganassonium Cassinensem S. Georgii Abbatem Epistola nuncupatoria, cum haec scripsit: *Conciliorum Collectionem jam omnimodis absolutam a d me Mansius transmisit, adeo ut nil amplius desiderandum sit.*

deinceps edendis oscitantis typographi negligentia, quantam vidimus, turpiter intercidisset, (nec dum enim post triginta et amplius annos cuncta prodierunt) si ad aliquot annos studiosissimus ipsemet Praesul et auctor, quod boni omnes optabant, superfuisset. Sed plurimis sui muneris curis, quas multum jam immutata valetudine graviores acrioresque expertus est, magis quam senio confectus, pie sancteque, quemadmodum perpetuo vixerat, decessit Anno MDCCLXIX. quinto Kalendas Octobris. Ingens sui desiderium cunctis reliquit; comis enim semper erga omnes fuit, omnisque officii diligentissimus; victu parcus, cultu modestus, vultu hilaris, ingenuus moribus, a quavis vel minima ambitione alienus, erga pauperes liberalis; de omni hominum ordine, de omni sacrarum praecipue disciplinarum genere optime meritus. Ejus mortem lectissimi cives, populusque luxerunt plurimum; tulerunt eam item acerbissime suae Congregationis praesertim Lucensis collegae, quorum bibliothecam perampla atque eximia librorum supellectili suis sumptibus auxerat. Exequiis solemni pompa in majori

Templo celebratis laudatus e suggesto fuit pro brevitate temporis erudita et docta oratione. Quod idem illi officium postea egregie persolvit Lucensis Obscurorum Academia; deinde vero, idque merito et cumulatius Academia Ecclesiasticae Historiae, quam in sua civitate Mansius tam provide instituerat, ut scriptis suis et exemplo ad sacra studia excitaret omnes, et experrectae potissimum nobilitatis ingenia vehementius inflammaret; (atque utinam quae a majoribus sapienter instituta sunt, perdiu retinerentur; sed ea humanarum rerum conditio est, ut diutius ipsis consistere aut etiam existere fere non liceat). Qui in Majori S. Martini Templo nonnulla viderit monumenta erecta, atque insculpta elogia, Mansium hujus generis monumento caruisse forsan mirabitur; sed monumentum aere perennius, neque ullo unquam tempore interiturum extant tot et tam praeclari libri, quos ipsemet aut perdocte scripsit, aut pererudite illustravit. Subjiciam tamen hic inscriptionem, quae in plumbea theca inclusa cum ejus cadavere fuit in tumulo apposita:

D. O. M.
Joannes Dominicus Josephi Mansii Filius
Patritius Lucensis
Morum Suavitate Innocentia Castimonia
Effusa in Pauperes Liberalitate
Praeclarus
Eruditione Praestantissimus
De Republica Litteraria Optime Meritus
Archiepiscopali Tandem Dignitate Auctus
Senio Et Labore Confectus
Obiit Lucae
V. Kal. Octobris CIƆIƆCCLXIX.
Vixit Annos LXXVII. Menses VIII * Dies XII.

---

* In inscriptionem error sane circa Mensium numerum irrepsit, scribi enim debuisset VII.; nisi vero potius errasse Venetum typographum dicendum sit, qui peramplum Commentarium edidit de Mansii vita a Franceschinio Congr. Matris Dei exaratum, ex quo Commentario allatam inscriptionem excerpsimus.

OPERA EDITA.

Tractatus de Casibus, et excomunicationibus Episcopis reservatis, confectus ad normam Tabellæ Lucanæ; Lucæ typis Sebastiani, et Dominici Capurri 1724; et iterum 1739.

Dictionarium historicum, criticum, cronologicum, geograficum, & litterale Sacræ Scripturæ Augustini Calmet ex gallico sermone in latinum conversum a Joanne Dominico Mansio, Lucæ 1725.

De veteri, et nova Ecclesiæ disciplina opus Ludovici Thomasinii illustratum a Mansio opportunis animadversionibus. Tom. 3. in fol.

Prolegomena, et dissertationes in omnes, & singulos Sacræ Scripturæ libros Augustini Calmet Latinis litteris traditæ a Joanne Dominico Mansio, Lucæ typis Venturini 1729.

Supplementum ad Dictionarium historicum Sacræ Scripturæ Augustini Calmet latine conversum a Mansio, Lucæ typis Venturini 1731.

Commentariorum litteralium in omnes libros Veteris, & Novi Testamenti Augustini Calmet, quæ Mansius in latinum vertit, Tomi VII. typis Marescandoli 1731; & annis insequentibus.

Annales Ecclesiastici Cæsaris Baronii Cardinalis una cum critice historica chronologica Antonii Pagii singulis Baronii paginis adjecta, ac eorundem Annalium continuatione studio Oderici Raynaldi typis Venturini in fol. tom. XXX.

Rerum a Castruccio gestarum, ex quo rediit in Patriam, series Chronologica ex editis, ineditisque monumentis expressa a P. Joanne Dominico Mansi cum notis, Lucæ typis Capurrii 1742.

De Epochis Conciliorum Sardicensium, & Syrmiensium, cæterorumque in causa Arianorum: qua occasione rerum potissimarum S. Athanasii Chronologia restituitur, Lucæ typis Benedini 1746.

Jo. Dominici Mansi pro dissertatione sua de Epochis Conciliorum Sardicensis, & Syrmiensis Apologia ad Anonymum data Lucæ 1747.

Sanctorum Conciliorum, et Decretorum Collectio nova, seu Collectionis Conciliorum PP. Philippo Labbeo, et Gabriele Cossartio Societatis Jesu Presbyteris primum vulgatæ, dein emendatioris, & amplioris Opera Nicolai Coleti Sacerdotis Venetiis recusæ, supplementum; in quo additamenta, variantes lectiones, emendationes ad Concilia, ac decreta permulta exhibentur. Omnia ex editis, et MSS. Codicibus undique quæ-

sitis græcis, latinisque collegit, digessit, additisque prefationibus, notis, dissertationibus historicis, criticis, chronologicis, dogmaticis illustravit Jo. Dominicus Mansi, Lucæ typis Salani et Juntini; 1748, et insequentibus annis. Vol. VI. fol.

Nova editio Historiæ Ecclesiasticæ P. Natalis Alexandri a Joanne Dominico Mansio concinnata, et novis adnotationibus adaucta, Lucæ typis Salani etc. 1749. Tom. 9, et iterum Venetiis typis Bettinelli 1759.

Joannis Dominici Mansii pro sua de anno habiti Sardicensis Concilii sententia ad V. P. F. Thomam Mariam Mamachium assertio altera Lucæ 1749. in 8.

Joannis Alberti Fabricii Lipsiensis Sacræ Theologiæ inter suos D, et Professoris pubblici, Bibliotheca Latina mediae, et infimæ ætatis cum supplemento Christiani Schoettgenii, editio prima Italica a P. Jo. Dominico Mansio e MSS., éditisque codicibus correcta, illustrata, aucta. Accedunt in fine vetera plura monumenta tum a Fabricio olim tradita, tum hic primo adjecta, Patavii typis Manfrè 1754. Tom. VI. in 4.

Diario Sacro Antico, e Moderno delle Chiese di Lucca composto già da un Religioso

della Congregazione della Madre di Dio, riveduto. ed accresciuto dal P. Gio. Domenico Mansi. Lucca 1753. in 8.

Pii II. P. M. Olim Æneæ Silvii Piccolomini Senensis Orationes Politicæ, et Ecclesiasticæ: ex MSS. Codd. fere omnes nunc primum eruit; reliquas hinc inde dispersus collegit, et ad MSS. Codd. recensuit, argumentis, adnotationibus, et præfatione exornavit, atque appendice aliarum Pii II. lucubrationum ineditarum auxit Joannes Dominicus Mansi; typis Benedini 1755. Vol. 2. in 4.

Succinto ragguaglio della Vita di Caterina Biagetti contadina dello stato di Lucca Terziaria Francescana scritta dal P. Gian-Domenico Mansi suo Confessore. Lucca 1755. in 8.

Memorie della gran Contessa Matilda restituita alla Patria Lucchese da Francesco Maria Fiorentini. Seconda edizione illustrata con note critiche, e con l'aggiunta di molti documenti appartenenti a Matilda, ed alla di lei Casa da Gio. Domenico Mansi. Lucca 1756. Tom. in 4.

Sacrorum Conciliorum nova, & amplissima Collectio, in qua præter ea, quæ Philippus Labbeus, et Gabriel Cossartius S. I. et novissime Nicolaus Coletti in lucem edidere, ea omnia insuper suis in locis

optime disposita exhibentur, quæ Joannes Dominicus Mansi Lucensis Congregationis Matris Dei evulgavit. Editio novissima ab eodem P. Mansi, potissimum favorem etiam, et opem præstante Emo. Cardinali Dominico Passioneo Sanctæ Sedis Apostolicæ Bibliothecario, aliisque eruditissimis viris manus auxiliatrices ferentibus curata, novorum Conciliorum, novorumque Decretorum additionibus locupletata, ad MSS. Codices Vaticanos, Lucenses, aliosque recensita, et perfecta. Accedunt etiam notae, et dissertationes quamplurimae, quæ in caeteris Editionibus desiderantur. Venetiis 1759., et annis sequentibus in fol. max. Prodierunt hactenus Volumina XXX.

Theologia Moralis in quinque libros distributa, quibus materiae omnes practicae cum ad externum Ecclesiarum, tum internum conscientiae forum spectantes nova methodo explicantur Auctore Paulo Layman Soc. J. Theologo, in epitomen redacta, et nunc primum pluribus in locis expolita, castigata, aucta, et frequentibus, luculentissimisque animadversionibus illustrata a R. P. Joanne Dominico Mansi Congregationis Matris Dei Lucensi. Accedunt suis locis accomodatae egregiae omnes regulae in praxi

observandae ex Theologia Morali R. P. Constantini Roncaglia ejusdem Congregationis Editio novissima uberrimo rerum codice locupletata. Patavii 1760. in fol.

Stephani Balluzii Tutelensis Miscellanae novo ordine digesta, et non paucis ineditis monumentis, opportunisque animadversionibus aucta, opera, ac studio Joannis Dominici Mansi Lucensis. Lucae 1761. T. 4. in fol.

Historia Ecclesiastica variis colloquiis digesta ubi pro Theologiae candidatis res praecipuae non solum ad historiam, sed etiam ad dogmata, Criticam, Chronologiam, et Ecclesiae disciplinam pertinentes per breves interrogationes, et responsiones perstringuntur, et in preclaro ordine collocantur: Opus novem tomis comprehensum Auctore Fr. Ignatio Hyacinto Amat de Graveson sacrae facultatis Parisiensis Doctore, et Collegii Casanatensis Theologo Ord. FF. Praedicatorum. Editio novissima luculentissimis additionibus, perpetuisque adnotationibus illustrata, et continuatione usque ad annum MDCCLX. locupletata a P. Joanne Dominico Mansi Congregationis Matris Dei Lucensi. Venetiis typis Remondini 1762.

De insigni Codice Caroli Magni aetate scripto; et in Bibliotecha Majoris Ecclesiae Lucensis servato Commentarius. *Extat in opuscolis P. Cologerà* tom. 45.

Epistola Jo Dominci Mansi admodum R. P. Danieli Concina Ordinis Praedicatorum data. Lucae typis Salani, et Juntinii.

INDEX VITARUM

Quae hoc Volumine XIX. continentur.

INDEX RERUM PRAECIPUARUM

QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

INDEX VITARUM

Quae continentur totis XIX. Voluminibus.

INDEX

Quo recensentur Vitae ab aliis Auctoribus scriptae, queis Fabronius in suis Voluminibus locum dedit.

ERRATA			CORRIGE
Pag.	lin.		
3.	7.	*oenustas*	*venustas*
5.	12.	*benvolentiori*	*benevolentiori*
9.	6.	discessum	discessu
10.	22.	aertus	aestus
12.	20.	abundas	abundat
24.	17.	loquentur	loquuntur
31.	7.	pedagra	podagra
50.	9.	indignissimum	indignissimam
57.	10.	illiu	illius
	ult.	parum	non parum
89.	23.	pro aliena	*deleatur* pro
96.	1.	felicitatam	felicitatem
106.	9.	*lactabimur*	*laetabimur*
146.	9.	*habereat*	*haereat*
155.	10.	Italici	Italicis
157.	2.	*astinet*	*attinet*
159.	penult.	*gloriosus*	*gloriosius*
179.	19.	reddites	redditum
180.	10.	celebritate	celebritatem
196.	5.	versati	versari
199.	15.	ancusatius	accuratius